H. Eccl.
205

H. Eich. 205.

SECRETA SECRETORVM:

CALVINO-TVRCICA SE-CRETA, EORVNDEM-QVE APOCALYPSIS.

XCIV.

CONSIDERATIONIBVS EXPOSITA, & futuro Principum Cõuentui exhibenda.

In qua præcipuè demonſtratur,

CALVINISTAS, CATHOLICIS, LVTHERANIS, SVIS CONFOE-DERATIS EXITIVM MOLITOS.

AVCTORE,

THEONESTO COGMANDOLO,
Politiæ Chriſtianæ Profeſſore.

Acta, & reuiſa in ſecretiſſima Cancellaria Anhaltina omnia; cum originalibus collata, & hac tertia editione aucta.

(o)

NOTVLAS addidit
NICOLAVS HERRIS AB ISECERA, IPRENSIS, Auctoris diſcipulus.

ANNO M. DC. XXI.

NOTANDVM

De hiſce Conſiderationibus.

I. *Citari Editionem primam Cancellariæ Anhaltinæ.*

II. *Has Conſiderationes nulli eſſe communicandas, niſi illis, qui volentes lubentes promiſerint: ſeſe aut nouam conſiderationem addituros, aut minimum duas expoſitis commentariolo aut gloſſula illuſtraturos.*

III. *Neminem Typographorum recudere debere niſi probo commentario vel Conſideratione noua per viros fidos auctas acceperit.*

Bayerische
Staatsbibliothek
München

CONSIDERATIO I.

CONSIDERATE & videte. Considerate; quia actus inconsideratus non est humanus. Videte; quia reuelata sunt mysteria, non Eleusina, fœditatibus infanda; sed Caluinistica, crudelitatibus barbara. Considerate, quia videtis. Non est laborioſa cogitatio, vbi sensus vltro animis ingerunt, quæ considerandа sunt. Releuata sunt fundamenta profundissimorum cordium, reconditissimorum consiliorum, scelerata latibula detecta sunt, quæ diu Catholicos, diutius Lutheranos, diutissime vrbes correspondentiales fefellerunt. Nolle iam illa considerare, non amplius negligentiæ delictum est, vt nuper; sed perfidiæ. Nolle cauere, est patriam Turcis prodere. Caluinistis autem porro fidem habere, apex est inconsideratissimæ stoliditatis, quem si quis capiti imposuit suo, siue princeps ille, siue principis consiliarius est, se, suos, patriam pessundat. Præcisa est omnibus, illa stultorum perpetua, inconsideratorum ordinaria, sapientium rara excusatio: NON PVTABAM. Audistis, vidistis, tactu, gustu, odoratu percepistis. Sonitus hostium atrocia patrantium, atrociora minantium non circumuolitauit aures duntaxat, sed obtudit. Quid oculi non miserabile viderunt? arma, cædes, incendia, Turcicas inuitationes, venalem Ottomannidæ, si emere voluisset, dulcissimam patriam Augusto Imperio decoram Germaniam. Hæc inquam vidistis, audistis, & quod his omnibus (considerate dico, vos considerate) atrocius malum est, quorundam tãto in periculo dormitantium stuporem: quem si oculorum & aurium è longinquo denunciationes excutere non potuerunt; nunc saltem stimulis suis tactus commoueat, quem tot mala lancinant, odiorum amarities

rities palatum infestat, nares consiliorum infernalium exhalans mephitis percellit. Tota se mole omnibus sensibus, prudentium vero intelligentiæ proditio se ingessit. Ea de re hoc primum considero. A tenui Romani Imperij primordio, cum duorum fratrum esset vnus, maxima regna, focus, vsque ad Ferdinandum Secundum Augustum, Pium, Felicem, Victorem, nunquam tam callida arte, multiplicibus machinis, actuosa celeritate, intenta malitia, perfidia, rebellione, periurio, proditione Rempublicam petitam esse. Tale fraudum, scelerumque exemplum nobis antiquitas nulla dedit, nostra sæcula sine paradigmate prædocente posteris præbere potuerunt. Nemo libertate dicētis offendatur; si falli alicui videor, ratione exemplove demonstret, lubens, volens cedam. Nec victum me arbitrabor, si errorem deposuero, vera didicero. Libere loquor, sed libertate, quæ mihi pro officio, quod in republica gero, necessaria est, quæque vtilis est omnibus. Omnium enim qui præsunt interest, sed & omnium, qui præsidibus consilia suggerunt, summo conatu, labore, opibus, sine hominum respectu, occurrere notissimo, grauissimo, vrgentissimo pĕriculo, quod etsi Dei auxilio, annitentibus Germanicæ nationis principibus, euasimus, grauiore tamen mole rursus incumbet, si nos, fatali ignauia vicisse contenti, victoriæ fructum de manu amittimus. Nec modo peribunt illi, qui futuræ securitati consulere negligunt, sed iure merito etiam cum infamia, ac dedecore sempiterno ditionibus suis excussi, mundo vniuerso opprobrio erunt: quia salutem à Deo acceptam contemptim æstimarunt. Quod si ab hac cura, solicitudine que, quæ magistratui Dei mandato incumbit, principem suum consiliarius quispiam auocare satagat, si pericula à me exaggerari contendat, hunc vel vt stolidum, & vt hostica pecunia inauratum, eodem momento abdicet, aula exigat. Ignosci mihi non cupio, quia vera, & necessario dicenda proloquor; qui factis hostium patriam vendentium non irascitur, consors est, proditor est. Qui me serio ista considerantem ira dignum iudicat, Caluino-Turcus est.

CONSI-

CONSIDERATIO II.

PERICVLI omnibus Germanicæ nationis ſtatibus incumbentis magnitudinem, ex fine ac ſcopo, quem ſibi Caluiniani præfixerunt, conſidero. Finis enim negociorum omnium eſt director; Finem quo omnia conſilia tendebãt, ſcribit Anhaltinus ann. 1619. 14. Februarij, eſſe, vniuerſum mundum ſurſum deorſum vertere. ita pag. 65. A quodam externo principe litteras accepiſſe ſe, ait, maximis de rebus. iam tempus agi res: vno verbo, ſibi iam in manu rationem eſſe, qua totum mundum ſurſum deorſum queat vertere. Hoc eſt ſane, Auguſtum, principeſque illi amiços deorſum voluere, de feneſtra præcipitare, Caluinianos rebelles ſummo in rerum faſtigio collocare. Hoc propoſitum cum vrgeant, per omnia obſtantia euadere conabuntur. Si Catholicus ſuperior, ſi Lutheranus princeps videri par velit, vertendam rotam exiſtimant. Cedat, ſeruiat, iaceat, aduletur, Caluiniano in celſa nitenti ſcalam ſe præbeat, ſi quis tutus eſſe cupit. Euerſo mundo, in ſublime euecto Caluiniſmo, omnis ordo, omnis religio primo cedet, deinde ſeruiet, poſtremo concidet. Nihil inuium aut intentatum tantæ ambitioni. Fruſtra cum fumo paciſcaris ne celſa petat: Nihil imperioſius ambitione; omnes virtutes, & quædam vitia calcat. Nihil intolerabilius, obſtantes omnes, improbos iudicat. Ita Fridericus dum fato ſe regem eſſe ſibi perſuaſit, ingens in omnes odium concepit, quos improbare inſtitutum cognouit. Grauiter Ferdinando, grauius Bauaro, grauiſſimè Saxoni iraſcebatur; Ferdinãdum dolore erepti regni, Bauarum religionis & cognationis reſpectu excuſatiorem habuit, Saxonem propriè cauſæ ſuæ iudicem damnatorem, & iniuſtitiæ vindicem exiſtimauit. quocirca plura in eum conuitia, contumeliaſque, quam in vllum alium dixêre Fredericiani. Hæc ambitio, cupiditaſque mundi inuertendi, etiamnum manet imò repulſa, contumelijſque irritata, nunc olim, quocunque dabunt ſe tempora vires, in altum emicabit. Quia effici nunquam poterit, ne non velit; ne, cum volet, non poſſit, nobis prouidendum eſt.

CONSIDERATIO III.

INSTITVTVM, propositumque fuisse, vt mundum euerterent totum, animaduertimus, & meminisse me olim puerum audisse, Philosophum fuisse, qui magnam nauem, in qua multa millia laborarant incassum, solum deduxisset, magnificè pollicitum, se vniuersum mundum, libratamque pondere suo terram loco moturum, si alius mundus daretur, in quo pedem ponere posset. Narrabat nobis etiam præceptor, axioma mathematicum esse: Quibuslibet viribus posse quodlibet pondus moueri, minimis maximum. Eos & Caluinianí æmulari videntur. Alio in orbe pedem ponere conati sunt, suas vires exiguas, tantæ moli euertendæ experti, ab arte auxilia petiuerunt, vt machinarum ope infirmitatem facerent valentissimam. Verum obstitisse illis ipsas machinationes considero. Etenim in hoc negotio, quod deest viribus, addendum est machinis; quo vis debilior est, pondus grauius necesse est, vt operosior, sumptuosiorq; sit machinarum cõstructio; At vero difficile est, & penè humano ingenio maius opus, efficere vt tot trabium, subscudum, annulorum, trochlearum, vectium, funium inuariata concinnitas perduret. Quod si in mille rotis vnus denticulus vacillat, tota inutilis est machina, & artificium non effectu, sed sola subtilitate laudatur: solida autem esse non possunt, quæ nimia subtilitate tenuantur.

CONSIDERATIO IV.

SCOPVM suum, artificiumque, quo ad eum pertingere se posse confidebant, nequaquam omnibus, imo nõ nisi paucissimis indicarunt. Alias causas, vel prætenderunt, vel habuerunt. Tam grandè enim propositum euertendi mundi, non vno vitio, sed omnium nequitiarum, criminumque præsidio fulciendum fuit. Caput artificij fuit religionis prætextus. Ve-

hementes

mentes illa, siue vera, siue falsa sit, affectus in vtramque partem habet. Religio, siue superstitio, siue vt propriè loquar, Atheismus Caluinistarum seditiosus, inquietus, crudelis est, qualis olim Ægyptiorum, ad cædes, & humanarum carnium voracitatem grassantium. Obstinatio eorum Deigratiam excludit, Catholicæ & Augustanæ confessionis homines errare opinantur, ideo nunquam eos persequi desistunt. A Lutheranis tantum absunt, quantum abest verum Christi corpus ab vmbra sua; Catholicam Missam, idololatriam vocitant; Cœnam Lutheranam vero, excrementum Cacodæmonis, & tale quidem, cuius ipsummet diabolum pudeat. Ideo mundum inuertendum aiunt, vt tam tætrum stercus excutiant. Papatum odêre Romanum, sed magis abominantur Saxonicum, in quo Romanum putant geminatum. Sed hæc vetera sunt. Cancellariam Anhaltinam spectemus pag. 26. anni 1618. legatus exteros exercitus curaturus à Catholicis; instruitur, vt dexterè moneat, Ecclesiasticos etiam inuadendos, tum quod Vnioni malè velint, tum etiam quod sua augeant, & inditionibus correspondentium tantus ali exercitus non possit; ea tamen dexteritate vtatur, ne ille Princeps, qui Catholicus est, suspicari possit, Vnionem non modo hoc agere, vt Catholicos status euertat, sed etiam Catholicam religionem in Germania penitus destruat, atque exstirpet. Quid voluerint, apparet; quid celauerint, etiam clarius est. Catholicos status qui euertit ambitione, & odio religionis, ipsam religionem ferè, exercitium publicum religionis omnino exstirpat. At cur de Lutheranis nihil cauetur? Id necessarium non putabant. Catholicum enim Principem, quem artibus suis illaqueabant, putabant, suæ religionis excidium nolle; Lutheranos autem in Caluinianorum arbitrio fore, nec magnopere de illis fore sollicitum principem Catholicum, qui imperium suum Caluinisticæ factioni deberet. Ex quo apparet, si hoc consilium ad exitum deduci potuisset, & religioni Catholicæ aliquam; (nã Princeps ille Rex Boh emix, & Imperator futurus erat) Augustanæ cõfessioni nul-

Iam tuelam ab vllo principe esse potuisse. Saxo enim omnibus impar est, & eius Electoratus iam alteri destinatus erat.

CONSIDERATIO V.

PLVRIBVS adhuc de eadem re, & consideratius agendum est. Peruicacissimæ enim opinionis, qua suos imbuunt, effectus, teterrimum est in Catholicos, & Lutheranos odium, quo vltra humanum morem efferuntur, omniaq; in eos commissa, in virtutum & benefactorum classe collocant. Romam iudicant esse irreconciliabilem, sibi Papæ necem mandatam, nullum cum Catholicis, veluti Antichristianis ineundum seruandumque fœdus, omne pactum Dei iudicio rescissum. Qua ex re id est consecutum, vt nulla transactio, nulla fœdera, nulla iuramenta, nulla pax effecerit, quo minus Catholicos status euertere, imperium vendere, de Lutheranis ne pacisci quidem statuerint, eaq; cõsilia iam annos duodecim ad exitum deducere laborarint. Nec ergo in posterum pactis securi ab illis, sed prudentia & viribus esse poterimus. Qui enim pactis conuentis, & iureiurando violatis, se peccasse negant, ijsdem in posterum violandis peccaturos pari impudentia, confidentiloquentiaque negabunt. Quod si nullo pacto se obligatos iudicant, quo minus Catholicos status euertere, Imperatori abrogare imperium, in exteros Principes transferre; peregrinos exercitus in Germaniam, etiam Turcam adducere, iure, quo, qui optimo potuerint, in futurum etiam eadẽ facultate, & ipsi, & nepotes vtentur. Nec meliore loco Augustanæ Confessionis assertores se fore existiment, cum enim pari nobiscum apud eos in odio sint, frustra ab irato victore mitiorem seruitutem exspectant, imo non frustra duplicem, tanquam duplices Papistæ sibi subeundam colligent. Id quod nunc in Belgio agunt, animis perpendite. Arminiani, qui in Regio Belgio sub Catholicis viuunt, serio affirmant, omnem barbariem præ Rigidis Caluinistis mollem esse, clementemque. Ipsi Caluiniani Rigidi (teste Greuinchouio) molles, aiunt, hæreticos Turcis, Iudæis

dæis, imo Ieſuitis eſſe deteriores. Rex Britanniæ iubet eos in radice exſcindere, ne pullulent. Quid verò meruêre Arminiani? Negant Deum ſine reſpectu delicti hominem æternis ignibus ſolo beneplacito addicere. negant ad ſcelus impellere, Chriſtum pro toto mundo paſſum affirmant, aliaque docent Orthodoxa, Lutheranis & Catholicis communia. Ob hæc exulant, ob hoc Turcis, Iudæis, Ieſuitis deteriores proclamantur. Lutherani, cum eadem ſentiant, eodem loco erunt, pari enim crimini non ſtatuent pœnam inæqualem, aut ſi varietas ſupplicij victoribus allubeſcet, acerbiorem inuenient. Mihi tria hoc in genere Lutheranis conſideranda occurrunt; quibus in Lutheranos odium violenter exercebunt victores. Primum eſt, quod præter illa quæ Arminianos exoſos faciunt, centena alia ſunt, ob quæ Lutheranos magis execrantur. Alterum, quod Britannus, alijque hortatores accedent. Tertium, quod vt Arminianos Rigidi turbatæ Reip. accuſant, ita Lutheranos præſertim opulentos apud Magiſtratum Caluinianum accuſaturi ſint Caluiniani; Eos ſcilicet aquam turbaſſe, quamuis multis milliaribus infra biberint. Nunc ergo, dum licet, ſeſe coniungant, mutua fide pacta, ne olim ſubito Turcæ, alijue ſero ſe venditos lamententur.

CONSIDERATIO VI.

CATHOLICI quidem fruſtra verbis lactari ſe fallique ſinunt; quicquid enim vel in ſpeciem blandiantur, vel concedant, eorum eſt propoſitum in illo orbis motu, concuſſioneque Papam non modo deijcere, vt inferior ſit, ſed ita excutere vt nullus ſit. Papatum inquam, hoc eſt, omnes ordines Catholicos, vt pag. 159. profitetur Anhaltinus, Papatum ſe tollere velle pedetentim, Pied à Pied. Vnico enim impetu præcipitare id eſſe virium ingentium vident. Sperant fore, vt peragat moderata poteſtas, quod violenta nequit. Singulos aggredi ſtatuerunt, donec opprimant, excidantque vniuerſos. Atque hoc eſt, quod aiunt, in Bohemia quæri puri-

puritatem religionis, idcirco Fridericum eligendum. Puritas illis non est vlla nisi vt Papistis eiectis, occisis, reliquias, & fermenti Papistici piacula, Lutheranos è medio tollant. Nam Lutheranos plus obesse sibi arbitrantur: Hinc translatio Electoratus Saxonici, hinc in Bohemia non minus vexati, atritique Lutherani quam Catholici. Et res ipsa probabit, Triplo plures Euangelicos ministros, quam Catholicos Sacerdotes officio motos; decuplo plures Lutheranos à coronatione Frederici, vsq; ad fugam eius ad Caluinismum transisse constar, quam Catholicos. Ideo Lutherani afflicti fratribus suis in Germania supplicarunt, impedirent violentum Caluinismi cursum, ne pecunia eroganda adiuuarent. Verum hæc est non infima pars calliditatis Caluinianæ, opibus Lutheranis in suam potestatem, ditionemque Lutheranos adigere.

CONSIDERATIO VII.

CVM alias proditionis & belli ciuilis causas singulorum eorsum inspicio, plurimas video, pessimasq;, & simul efficaces: superbiam, auaritiam, metum iudiciorum, egestatem. Fredericũ sua Cleopatra, Bataui, Bullionij, alijq; secretissimis instructionibus in rabiem egerunt. Badensem Furiæ spoliatorum pupillorum vltrices vexarunt. VVirtenbergicum cupido alieni, & spes libertatis, vt vasallus domino seruitium ne deberet, in causam traxit. Anhaltinum fœda cum luxu egestas, ad dedecus impulit. Landgrauium Casselensem inquietudo, & Episcopatus vicini præ suis montibus vbertas allexit. Comites reliquos res angusta, pauperras prodiga, æs alienum; Vrbes fallaciæ principum, Syndicorum, & quorundam Senatorum empta proditio fefellerunt. Sunt hæc, vt ad bellum suscipiendum incitamenta grauia, ad pugnandum, omniaque toleranda causæ efficacissimæ, ita in victoria omnium calamitatum fontes. Fredericum omnes Coronas, Bohemicam, Vngaricam, Germanicam ambientem nulla regna satiabant. Wirtembergicum æs alienum, ne Noribergenses quidem thesauri dissoluent. Durlacensis spoliator

nepo-

nepotum, cui parcet alieno? Anhaltini, Landgrauij, Comitum egestas in omnes impetum faciet, nec causa agetur religionis, sed prædarum. Pag. 31. Frederico dant Bohemiam, prædas cæteras ex æquo partiuntur, ante aliter partiti fuerant. Cum illis igitur pax ineunda non est, qui se pace saluos esse posse negant, nisi aut statum illum, aut animum mutent.

CONSIDERATIO VIII.

QVIN etiam tam magnum, tamque acerbum est in Catholicos ac Lutheranos odium politicum, vt Anhaltinus anno 1619. die 19. Maij dictarit: satius esse Turcam aut ipsum diabolum ad Imperij successionem venire, quam Ferdinandum. Horresco referens, dicendum est tamen. An ergo homo pius Anhaltinus & religionis Caluinianæ celator egregius, Turcæ, aut diabolo sacramentum fidelitatis dicere paratus est? An esse & audiri Generalis diaboli? An ea religio tam deuota diabolo, vti alteri parcet? An Noriberga, sociæque vrbes tanto sumptu ciues suos exsugunt, ærarias exhauriunt, vt vel libertatem Turcæ, vel religionem diabolo concredant, vel vtramque vtrique prostituant? An Imperatore diabolo, Generalissimo Palatino, Generali Anhaltino felices erunt? Turcam aut diabolum inaugurabunt? sua ornamenta illis Francofurtum deferent? An hoc est, quod Graserus olim scripsit, in Imperio Romano esse plenitudinem diabolismi? An Anhaltinus ex Caluinismo voluit facere Diabolismum? An plenus non erat diabolismus, nisi caput esset diabolus? An his de rebus Lutherus prophetauit, cum Caluinistas dixit esse diabolos incarnatos? An eos verè descripsit cum dixit, Caluinistas, seu Zuinglianos habere corda indiabolificata, perdiabolificata, superdiabolificata? An hoc vidit Polycarpus, cum diceret eos Anti Christum Orientalem gestare in pectore? An VVormatia opibus, ciuibusque exhausta est vt Turcam aut diabolum Imperatorem haberet? An Osthouia & VVestho-

Westhouia in sacrificium diaboli exustę sunt? Tu quid exspectas à Turca, vel dæmone boni ? An vt tibi cum mundum vniuersum sursum deorsum versum verteris , ostendat omnia regna mundi in momento, & gloriam eorum, dicatque : hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me? An tu respondebis,

Te pronus adoro,
Accipio, lubens?

Interrogo, non assero ; Consideranti tamen ista mihi , suspecta est tanta ad Turcam, diabolumque animorum inclinatio, & eius qui dictauit , & eius qui dictare tam grande, impiumque secretum ausus est. Paratum enim esse ad faciendum Imperatorem diabolum non modo sacrilegum , & impium est, sed etiam facti crimen habet.

Cur vero adeo exosus est Ferdinandus, vt dominum malit è Tartaro ? Catholicus est; sed tamen & de montibus Catholicum Imperatorem eligere maluistis. Si non placet Ferdinandus , quia Catholicæ religionis princeps est, cur Italum aut Gallum etiam Catholicum postulatis? Cur Turcam, aut diabolum , nisi quia Caluinianæ sectæ fauentiorem arbitramini? Cur igitur exosus est ? Ne vitia quidem vlla narrauerunt vnquam; humanitate, clementia, affabilitate tantus Imperator omnes vincit. Quid igitur causæ est ? Aliam nullam inuenio; nisi quod inimicus sit diabolo, quem dominum Anhaltinus mallet.

CONSIDERATIO IX.

PAR odium in Hispanos anno 1618. pag. 30. Tantum exercitum sperabant, vt si ante annos aliquot habuissent, Hispanum in suo nido aggressuros quosdam fuisse putarent. Quid vero meritus est Hispanus ? quos spoliauit ? quos oppressit per iniuriam? Quid Anhaltino detrimenti attulit? Hoc crimen eius est , quo offenduntur , qui Turcæ & diabolo addictiores sunt, quam patriæ, nempe, latè imperare, perniciosum esse. Inuidia diaboli mors intrauit in orbem terrarum, filij dæmonis inuident ; sed dum aliena felicitate vruntur,

suam

ſuam amittunt, duplici dolore miſeri, quorum prior ſcelera-tus eſt, alter idcirco miſeratione indignus. Quid enim Regi Sueco in mentem venit, vt diceret pag. 330. Æternum ſe Hiſpano hoſtem forem? Quid Regi Aquilonis, cum Rege Auſtri? Quid homo breui viuens tempore, inter ſuas miſerias, æternas irarum flammas meditatur? Vana eſt ſine viribus ira; Si regio more iraſcitur, cur rigidam Boreæ gentem non traducit Gades, Hiſpanicam hyemem pro æſtate habituram? adfuit ille principibus Vnionis, auxilia procliuè pollicitus eſt, ſed aut pauca; aut nulla miſit. Inuidiæ ingenium cum mecum perpendo, video neminem ab eo tutum futurum, niſi quem fortuna facit miſerabilem. Ibitur in quoſcunque ſi inuidendos fortuna fecerit. Vbi meſſis vberior, vbi inuidentia magis inardeſcit.

CONSIDERATIO X.

VNGARIÆ coronam à Gabore, qui hærede caret, ad Fredericum tranſferre meditabantur anno 1619. Anhaltinus inſtiturum approbat, cauſas rebellandi ſuggerit. Tantæ rebellionis cauſam, pietatem prætendit. Non emolumenti cauſa, inquit, quod initio forte exiguum futurum eſt, ſed vt hac ratione verbum Dei, & Eccleſia conſeruetur, nec modo ſtabiliatur, ſed etiam propagetur, & dilatetur verbum Dei. O diuinam pietatem eius; qui diabolum imperatorem mallet, quam Ferdinandum. In Hungaria interitu Lutheranorum, & Catholicorum Caluiniſmum dilatare diaboli inſtinctu conantur. Id quidem grauiter præſtitit Gabor, adeo, vt qua iter fecit, ritu barbaro non Catholicum, non Lutheranum miniſtrum reliquerit, à quo vel infans poſſet baptizari. Hunc tamen quæ eſt humanarum rerum cœcitas, quaſi liberatorem cum Friderico vrbes Lutheranæ exſpectarunt; in hoc à fide Imperatoris deſciuerunt, opes, ſanguinemque ciuium impenderunt. Hæc Caluiniani adhuc Lutheranis obnoxij palam, arroganterque patrant, quid facturos putamus, vbi rerum potiti; nec quem vereantur, nec quem timebunt, habituri ſunt?

CONSI

CONSIDERATIO XI.

INSTITVTVM ac scopum Caluinisticæ rebellionis ostendi. Nempè orbem euertere, dominari, superstitionem suam propagare, diuitias parare. Nunc de modo ac ratione, qua tanta machinati sunt, accuratè omnia consideremus. In omnibus varia se crimina ostendunt, sed quædam tam inusitata, barbara, crudelia, malitiosa, stolida, vt facile appareat eos ad ciuilem vitam, societatemque humanam dissoluendā natos esse. Nam si omnia eorum liquidè examinemus, ac diiudicemus; non iniustos modo, & perfidos, sed iniustitiam etiam, perfidiamque cum inter se agunt, professos esse inueniemus. Etenim cum bella duobus modis sine scelere geri possint, si vel iusta sint, vel quamuis iniqua causa nitantur, magna tamen ratione, sine culpabili ignorantia ille, qui belligeratur, iusta arbitratur. Nostri autem Triumuiri, nulla iustitiæ specie, sola via facti procedendum pronuntiant. pag. 202. Cæsari bellum indicunt, Bauaro leges ponunt, Collegis principibus, tempus respondendi constituunt, tanquam captiuis imperant. Impensas belli ab ipsis repetituros minantur. Videantur acta Noriberg. Bauarica anno 1619.

AD CONSIDERATIONEM XI.

ADDITIVNCVLA.

QVID Imperiosa ad Bauarum legatione effectum voluerint Vnistæ, ostendunt Comitis Solmens. ad Anhaltinum literæ, Norибergæ 13. Nouembr. An. 1619. datæ, & pag. 202. relatæ. Hoc scilicet, vt si Catholici non omnia illis ad lubitum permittant, sanguine litent. O audaciam! in summis rerum angustiis quas priores eiusdem Comitis literæ, ob infelicem Conuentus illius successum, obortas querantur, tam seueras Catholicis leges ponunt, necdum subactis; quas posuissent victis? At Catholici victores, cum aduersarios suos in potestate haberent; & pacem poscere compellerent, Quid illi? sollicitine fuerunt vt victi prætensionibus renunciarent, quarum causa bellum perfidè susceperunt? Nullo modo.

Quare?

Quare? Compertam habebant Caluinicolarum doctrinam: qua nulla pacta, nulla fœdera rata haberi debere contendit; nisi quæ Conscientiæ eorundem satisfaciunt. Quamtamen vt Genius dictat, mutare licet, adeo, vt ne iuramentum quidem obliget, quando Conscientia violandum esse dictauerit. O Conscientia!

CONSIDERATIO XII.

INGENS hoc malum est, & indignum Germanis principibus facinus, vsitatum tamen, cum sint in Republica partes. Timeri volunt, inferre iniuriam satagunt, ne pati possint: illud vero in vno crimine omnia scelera comprehendit. Quod viuo Cæsare, inscijs collegis Electoribus, ignorantibus omnibus Germaniæ principibus, etiam vrbibus fœderatis suffragia sua vendere, extero principi, contra leges, & iusiurandum imperiũ armato tradere, h. e. patriam prodere, decreuerunt. Nec impetu, nec inconsideratè, sed longa consultatione, missis legatis, diuisis ditionibus, imo & mercede mutata. Primo enim actum, vt princeps ille Germaniã armatus inuaderet, & Frederico coronam Bohemiæ cõciliaret, Fredericus duobus suffragijs subnixus, & Brandeburgici potens, Augustum Imperium externo conferret. Id postea mutare visum est. Maluit enim Fredericus Alsatiã vtramque, & Austriacarum ditionum partem, ac deinde regnum Vngariæ; deinde cedere Bohemiã externo. vide pag. 42. Ecce iam regna licitantur, & vendunt, peregrinũ militẽ inuitant. Ne vero aliquid futuro regi deesset, quartũ etiã suffragiũ in potestatẽ redigere conatus est per Anglũ, & Hollandos, tandẽ per Francũ, & quod periuriosissimũ, per largitionẽ pecuniarũ. Vt vnus Palatinus duos Electores ancillares nactus, dominũ quẽ vellet Germaniæ imponeret: hunc in finẽ omnia machinati sunt astutè, sed frustra, cum opulenta republica, thesauros vt aperiret suos. pag. 116. Hic quid primũ, quid vltimũ cõsiderabo? Crimen maiestatis est, viuo Cæsare cũ alio de successione agere. 2. Crimẽ maiestatis, etiã mortuo Cæsare, inscijs collegis Electorib. coronã alteri offerre. 3. Par crimẽ cõtra leges externũ in imperiũ adducere. 4. Nefariæ proditionis est, inscijs principibus patriæ dominum externum imponere. 5. Crudelissimæ proditionis est, eũ

arma-

armatum in Alsatiam aduocare, vt si quis libertatem tueri; legesque conetur, trucidetur. 6. Proditoriæ auaritiæ, ambitioniſq; est; pro tanto scelere principatus paciſci, omnes in seruitutem externam dare; & veluti sub hasta vendere vt larius imperes. 7. Sceleratius etiam est alieni Electoris fidem, vicinorum potentium minis & pecuniis oppugnare. 8. Nullus hic religionis prætextus; Nam Catholicum Cæsarem, Catholicum exercitum; pene Cardinales & Romanos inducet; non ergo consultum vult religioni. 9. Alsatia comites, Barones, vrbes habet Lutheranas; omnes illi hæreditarium dominium habebunt Fridericum, coacti Italo, Francoque milite; Fredericus totius Rheni dominus erit. Episcopatus ante aduentum exteri ducis; occupabit, ab Heleuetijs igitur vsque ad Hollandos dominabitur, facietque quod in Palatinatu factũ videmus, vt intra annum in nobilissimo, populosissimo Rheni tractu, nullum sit, aut Catholicum, aut Lutheranum exercitium: neminem enim sibi fidum arbitratur, nisi Caluinismo initiatum. Quid de te illo tempore futurum est, superba Argentina, paupercula Spira, procax Wormatia? O felicem scriptore secretissimæ instructionis, dociles fuere discipuli, equis albis magistrum præcurrerunt.

CONSIDERATIO XIII.

NEc mirum videri cuipiam debet, si hæc ego considero: Iudicem illis fero regem iam æuo maturum, trium regnorum dominum, quem ipsi Caluiniani non modo regum, sed hominum etiam sapientissimum esse pronuntiant: Rex Britanniæ Magnæ, socer Frederici, qui patris est instar, cui Frederici, filiq, neporum salus, ac incrementa gratissima sunt; totam causam damnauit, maluitque generum indefensum, egenum in Batauia tanquam Prochorropheio consenescere, quam tanta iniuria potentem esse, nec vnquam adduci potuit, vt tam iniurioſis proditionibus adiutorem se præberet, & famam alieni sceleris consortio contaminaret. Itaque anno 1620. die 29. Iunij (vt est pag. 308.) Generum Palatinum, non Regem appellat. Hortatur vt parens, monet vt senior, ne

tantis

tantis malis auctorem se gener, & ducem præstet; se nec illi consulere rectius, nec iuuare fidelius posse, quam si adnitatur vt sua retineat, aliena armatus non acquirat. Patriam hoc modo Turcæ aperiri, & perpetuæ seruitutis in discrimine versari. Paulò ante pugnam qua obstinatio adolescentis superbi, quia flecti non potuit, fracta est, per legatos adhuc de pace socer monuit. At socero plus valuit Anhaltinus, alijque, quorum consilia ab initio patris monitionibus antepositit. De toto negocio quidem socerum regem consuluit, sed non vt eius prudentia sententiaque ferociam adulatorum suorum moderaretur, sed vt arte ad institutum inductum regem, ambitionis patronum & adiutorem haberet. Ideo pag. 19. quæruntur ex Anglia aduersa nuntiari. Et pag. 112. Responsum aiunt impatientissimè exspectari. Tandem fore vt Palatinus coronam accipiat, quicquid socer censeat. Hæc cum tot modis tractata, constituta, firmata essent, iamque fixum animo staret, nec soceri auctoritatem, nec regis voluntatem, nec senis consilium, sed ambitionem suam, cupiditatesque sequi, simulabat tamen de regno accipiendo ambigere sese, vt modestiæ speciem præferret. Nihil non modo ciuilis, sed nec humani ingenij ostendunt, qui impatienter regis deliberationem ferunt. Verum postea ruptis verecundiæ habenis, in regis ipsius reprehensionem versi sunt. Ex Britannia pecuniam, quam milites delicatos malunt. pag. 146. Dominari & leges dare regi meditantur: ita enim Francofurto scribit Camerarius, Britanniæ legatum, Hispano vicinum diuersorium conducere, res cum illo tractare, sibi familiaritatem illam displicere, si pecuniam quam in legatum impendit, bonis Bohemis daret, rectius facturum, Hispanum Britanno astutiorem esse, Anglum simpliciorem. Quid isthoc aliud est, quam seniori regi artem regnandi tradere, regis se regem constituere?

CONSIDERATIO XIV.

HABET odiosa prudentia, vt nihil nisi suum probet. Nulli parere, cunctis imperare præsumat. Parcere magistratui,

tui, aut legibus, ſeruile arbitrantur. Anhaltinus Eccleſiaſticos ad ſeruitutẽ natos irriſione dignos pronũtiat. Ita ſane; ad ſeruiẽdum Deo vero & viuenti, non tãtũ nati ſunt, ſed & renatĩ ſunt; Deo autem ſeruire, regnare eſt, multo inquam feliciùs regnare; quam illi qui regnantes ſanguine multo, tempore breuiſſimo, ex tantis machinationibus, apparatibuſq; nil niſi cum paupertate ignominiam ſempiternam retulerunt. Nati ſunt Epiſcopi ad ſeruiendum legibus, obtemperandum magiſtratibus, multo meliore ſidere, quam illi, qui contra Dei leges, vel Turcam vel diabolum ferre dominum poſſunt: quorum ille non niſi abſolutum mancipium habere dignatur, hic vero ſeruos ſuos per multas tribulationes deducit in gehennam. Periculoſum hoc axioma eſt. Omnes enim Imperatori obedientes, ſeruituti addicunt, nec hic religionum exceptio. Solus Caluiniſta dignus iudicatur imperio. Reliquis vt ſeruis vtendum cenſent. Qui dæmoni vel Turcæ ancillantur, in magiſtratum conſpirant, liberi cenſentur.

CONSIDERATIO XV.

RATIO, ſtudiumque in illis tractandi negocia magnum eſt, actuoſa ingenia, ſed recondita omnia, & ſerpentino felle ſuffuſa. Ideo ſucceſſu plerumq; carent conſilia. Dei enim ſapientia, falſam ſui imitatricem aſtutiam, deſtruit. Callidiſſimus eſt, quem illi non dedignantur Imperatorem dæmon: ſed nullo ſe aſtu tam diris ſupplicijs exſoluere poteſt callidiſſimus ſerpens; ſed attollere tamen ſurſum ſibilantia colla non poteſt, ſuper pectus ſuum graditur: nocere plurimum poſſunt, & dæmon, & anguis, ſibi prodeſſe non poſſunt: ſine profectu alijs officiunt, vti boues quos extrema macie confectos Pharao cernebat. Quid obfuerint, ducenta hominum millia, aut gladio cæſa, aut fame morbiſque tabefacta demonſtrant; nullo tamen ſuo bono tantum humani ſanguinis fuderunt. Quantum vero nobis periculi impendeat, ſi illa maleuolentia graſſari & virus ſpargere vſquequaque permittatur, neminem latere poteſt.

CON-

CONSIDERATIO XVI.

VERVM, quod prorsus hominum inter se commercia, societatemque è medio tollit, eo illi præcipue inualuerũt, atque hodie inualescunt; nempe nouo, inaudito, violento calumniarum genere. Quod integris voluminibus Lutherani demonstrarunt, recentia nobis nimium materiæ præbent. Planè agunt, quod ille, qui cum innocentem sauciasset, vltro in ius vocauit, atque accusauit, quod altius non recepisset ferrum. Non vnus aut alter, sed tota collectio Correspondentialis, anno 1619. Noribergæ considens, cum Catholicis omnibus laqueum minaretur, asseruit: Catholicos priores arma cepisse, ideo se coactos arma sumere. Velle, Catholici arma priores ponant, alioqui se impensas belli ab illis repetituros. Quid illis agas, qui tam sine fronte calumniantur innocentes? Miserãt iam anno 1618. Mansfeldium in Bohemiam, vt fauor Frederico quæreretur, pag. 62. Quin Anspacensis iam 2000. in promptu habere iactat, quos paucis diebus producere possit. Venerant equites Styrumbiani. Iam ab anno 1618. de magno exercitu in Alsatiam ducendo actum erat, pag. 62. & seq. Anspacensis pag. 244. fatetur armari Ecclesiasticos, sed timore Vnionis. Denique iam non modo in nos bellum pararant, nostra diuiserant, Generales ad Rhenum, & in Franconia constituerant, sed exterius quoque nos vendiderant; dum illud conspicati quidam principum præsidia suis ditionibus constituerunt, eos calumniati sunt, quasi priores arma sumpsissent, vide pag. 43. Linguæ eorum sagittæ, sicut nouacula acuta fecerunt dolum. Quicquid improbe calumnioseque moliuntur, id alijs imponunt: Id fecere olim Lutheranis, nunc omnibus; idcirco Lutherani prudentiores, magis suspectos illos habent quam Catholici, non enim ita pridem Palatinatu, Hassia, Brandenburgia pulsi, calumnias illas sustinuerunt. In eo enim toti fuerunt, vt ostenderent illos meritò pulsos? quia Caluiniani esse noluerunt.

CONSIDERATIO XVII.

CALVMNIIS adiungunt periuria; non loquor de periurijs vsitatis, quo Cæsari, Electoribus fidem violarunt, non de eo quidem, quod cum in Bohemia rebellant, Francofurti se fideles fore Cæsari peierant: Non quæro in Caluinismo iurisiurandi religionem, cum vtile illis periurium videtur. Ipsi fecerunt, vt iuramentis se mutuo homines deludant. Hoc queror, ipsum Antiregē publico diplomate, ad omnes principes dato, nulla necessitate, parua vtilitate, animi tantum causa peieraſſe: idque eo modo, loco, tempore, vt non modo eius intimi, sed Bohemi, Principesque Germani; imo exteri principes, & Respublicæ periurum esse cognoscāt. Iurat enim se non ambitione, non malis artibus ad regnum venisse, de sua electione nihil præsciſſe. Nihil tu sciueras? At sciebat princeps ille, qui anno 1618. tibi bina militum millia dederat, quibus tu rebellionem eorum adiuuares, & fauorem aucupareris. pag. 25 Nesciebas, cum alteri coronam cedere, aut velles, aut velle simulares? pag. 41 Nonne tibi coronam cedere iam dudum obtulerunt? **würcklich vnd verbündlich**/ re ipsa obligatione præstandi; vt tuus cliens loquitur? Quid ante electionem tuus in Bohemia legatus; quid pro te contra Saxonē tractabat? O Fides Bohemo Palatina. Quæ igitut potest vel Lutheranis vel Catholicis cum illis, qui quasi moris & elegantię causa peierant, esse societas; qui dignos existimant summos principes, quos peierando derideant?

CONSIDERATIO XVIII.

PERIVRIO affine est crimen falsariorum, de quo pag. 160. vbi Sereniſſimi Leopoldi Archiducis manum scitè expressam, laudant Anhaltinus & Camerarius. Notarios interdum & sctibas instrumenta corrumpere, testamenta supponere, sed capitis & famæ periculo audiuimus: verum cum ea res in aulam irrumpit, necesse est omnem humanam fidem exulare. De falsarijs illis aliquando Lutherus, aliquando alij, vt

lij, vt in Colloquio Mulbrunensi, questi sunt, sed erant ista ministrorum, erant notariorum impostura, principes vti tam degenere fraude, non modo non contumelioſum, sed etiam exitioſum est. Num quæ fœdera concipi, scribique possunt, si ipsi falsa supponant? quæ principem suis, aut alijs suspectum reddere non possent, si eius nomine, manuque subscriptas literas effingant? Aureliani nota est historia, & verendum, ne antiqua scelera noui mores renouent. Quænam ista suadet religio? aut quid in relipionem non molientur ministri Caluiniani, qui talia docent reges suos?

CONSIDERATIO XIX.

NEc tamen nulla est tam magnę perfidiæ vtilitas. Princeps enim ille cui Bohemiæ Germaniæque regnum obtulerunt, licet penè in fraudem inductus esset, mox tamen ex colloquijs fraudes didicit, & de promissionum veritate ac sinceritate dubitauit. pag. 117. Nec iniuria, Palatinus enim ipse sibi propior, Bohemiam inuasit, pro Vngaria alium excitauit, cui tamen vt Orbo Vulturius imminebat. Nec opulenta respublica permoueri potuit, vt pecuniam suam correspondentiali coniurationi, vel mutuam, vel dono mitteret. Insanum credebant, illis credere, qui suis tot modis obligatam, iuratamq; fidem tam nefariè violassent. Cum igitur illi, quorum maximè interesse videmus fœdus cum Fredericianis inire, ab eo resilierint, perfidiam detestati; nos sanè credere temerè illis non possumus. Italici quibus Germaniam venalem obtulerunt, lucrosissimo contractu abstinuerunt, quod Pseudolis illis aurum vbique vestigantibus fidem non haberent. Nos quos vendere pararant, credemus? Nec hoc agemus vt in posterum vendendi potestate priuemus? Et Catholicorum quidem seruitus tolerabilior, vendebantur Catholici Catholicis. Lutherani Italicis, religionem eorum horrentibus, forte non passuris; verum Caluiniſtæ in sua illos lustra trahere constituerunt.

CONSIDERATIO XX.

NOs ne illis credamus, maiorem, imo neceſſariam cauſam habemus. Si quis annos decem aut duodecim *ita* cum amico conuerſetur, vt omnia humanitatis & beneuolẽtiæ ſigna vltro exhibeat, interea tamen omni labore ac ſtudio occaſionem quærat, vt eum fortunis, vitaq; exuat, nec vllam occultè nocendi anſam intermittat, iram, furorem, inuidiã, blanditie, aſtu, frontis hilaritudine tegat, nonne quiſpiam eum dæmoni potius, quam homini ſimilem, in ſolas terras deportandum merito iudicarit; Caluiniani iam ab anno 1608. publicè priuatimque multa Catholicis, multa Lutheranis amicitiæ fucatæ, & inſidiatricis beneuolentiæ ſigna in ſpeciem exhibuerunt, ſed illa omnia aliud non fuiſſe, quam proditionis tegumenta res ipſa docuit. Ab anno 1608. bellum pararunt Generaliſſimum, & Generales in omnem occaſionem intentos eſſe iuſſerunt.

Anno 1608. 30. menſes.

1609. }
1610. } 15. menſes in ſingulos annos.
1611. }
1612. }
1613. }
1615. }
1616. } 10. menſes in ſingulos annos.
1617. }

1614. 30. menſes, & 100. menſes creditorum.
1609. 50. etiam conſenſerunt, & magnam partem ſoluerunt.

Ecce quibus amici videbantur, contra eos tantas vires firmarunt, nec certo modo, & forma nos omnes, hoc eſt, Catholiços & Lutheranos, quos propoſitum ſuum celarunt, morti & ſeruituti deſtinarunt, ſed rem Generalibus permiſe-

runt,

runt, Palatino, Anſpacenſi, Anhaltino, agerent, ferirent gladio, fune, igne graſſarentur: ſed occaſionem exſpectarent. Ea erat, ſi Imperatori humanitus aliquid contingeret; ſi motus in Germania oriretur; ſi inducię Belgicæ finirentur, aut abrumperentur; ſi quis motus in Imperio, in Francia, in Italia, in Stiria conſurgeret; ſi quas vrbes improuiſo in poteſtatem redigere poſſent. Si bellum Ottomannus moueret. Tum illi ſubito parati; imparatos vno menſe opprimere, oppreſſorum opibus Italiam ſubiugare potuiſſent: atque hoc eſt quod Anhaltinus dicere ſolebat. Breui ſe Sanctiſſimo Patri leges dictaturos. Meliores fore non ſpero, noua meditari credo. Hoſtis eſt, non modo dum pugnat, ſed dum ad pugnam ſe parat. Meminerit quiſq; quid dixerint palam, egerintque, quid cogitarint, qui totos duodecim annos nos occiderunt; ne autem moreremur, Domini miſerationes fuerunt, qui occaſionem denegauit.

AD CONSIDERATIONEM XX.

APODIXIS.

Quandoquidem modus ſupputandarum Imperij contributionum non omnibus paſſim expeditus eſt; operæ precium me facturum exiſtimaui, ſi theſauros in nefarium hoc bellum congeſtos, quam breuiſſimè numerarem, licet prouerbium obtinuerit, Pecuniam qua numerari poteſt, bello non ſufficere. Quamobrem ſciendum principio eſt, nouam Vnionis Matriculam ſub ipſum eius initium confectam fuiſſe: in qua Palatinus Elector, Bipontinus, Cattus, & Marchio Badenſ: 1205 flor. 30. Crucife in menſes ſingulos amplius pendere promiſerunt: quam in Imperij exactionibus ſoluere tenerentur. Anhaltinus 40. flor. minus. Elector Brandenburg. Culmb. Onolſpacen VVirtenberg. Ottingen. antiquum obtinuerũt: Ita etiam ciuitates Imperiales, Hala Sueuorum, Memminga, & VVeiſſenburgo Norico demptis, qua ab ordinario conferendi onere, in 237. flor. & 20. Crucif. menſtruis, releuata fuerunt.

Ad hanc nouam igitur Vnistarum Matriculam singuli Menses 15974. *flor. &* 10. *Crucif. Thesauris inferunt.*

Igitur

Anni	1608.	30. *Mens.*	479225. *flor.*
	1609		
	1610.	*singulorum annorum*	
	1611.	15. *Menses*	958450. *flor.*
	1612.		
Anni	1613.		
	1615	10. *Mens. in*	
	1616	*singulos*	63902. *flor.* 40. *Cru.*
	1617		
Anni	1614.	130. *Mens.*	2076641. *flor.* 40. *Crucif.*
Anni	1609.	50. *Mens.*	598708. *flor.* 20. *Crucif.*

Constat itaque totus hic thesaurus ex 4176917 *floren.* 40. *Crucif. id est, Quadraginta duobus fere vasis auri.*

Omnem hanc pecuniam in colligendum militem, militaremque apparatum, insumptam fuisse; in stipendia militaria duplum aliud impensum, & aliquot miliones debitorum remanere, nemo sanus dubitet.

Si quis curiosior scire aueat, quid singuli Vnitorum expenderint, nec tamen rationes ad Matriculam subducere commodè possit; etiam huic famulabor, quantum ad Ciuitates pertinet. Nam Principes qui hæc curent, iam pridem conductos habent. Contulit itaque in hos thesauros

Argentoratum	279000. *florenos.*
VVormatia	65560. *flor.*
Spira	65560. *flor.*
VVeissenb. ad Rhenum	34720. *flor.*
Landauia	29760. *flor.*
Vlmæ	279000. *flor.*
Nordlingæ	54600. *flor.*
Hala Sueuorum	90843 *flo.* 20. *Cru.*
Hailbronnæ	64480. *flor.*
Memmingæ	51163. *flor.* 20. *Cru.*
Campidonum	48360. *flor.*
Noribergæ	478800. *flor.*

Rotenbur-

Rotenburgum	117800. *flor.*
Suinfurtum	45880. *flor.*
VVindtsheimium	52080. *flor.*
VVeissenburgum Noricum	31000. *flor.*

Vbi notandum est, nulli vnquam Imperatori tantum subsidium contra Turcam promissum præstitumvè fuisse: sed cum in Comitiis Ratisponensibus Anno 1594. *habitis, Diuo Rudolpho, omnium quæ antecesserunt Contributionum maxima, octuaginta videlicet mensium, in aliquot annos diuisim præstanda, promissa fuisset, omnes pene Protestantes reclamarunt, plurimi nihil soluerunt; veriti (scilicet) ne Imperium Romanum Vngariæ regno tributarium facerent: modo eorundem hæredes & successores vtrumque Turcæ, eiusque mancipio Gaborio tradiderunt.*

Denique cum ex tertio Anhaltinæ Cancellariæ membro constet, Principes ibidem designatos 586972. flor. 19 1/4. Crucif. in nominibus hærere; nonnulli etiam stipendia certa habuerint, quæ si non omnem ipsorum portionem absumpserunt, certè bonam illius partem ad proprios loculos reuocarunt; facillimè colligitur, omnem sumptum ex Imperialium Vrbium Chrysothecis promendum fuisse.

CONSIDERATIO XXI.

TALES in Catholicos, in Lutheranos, (quos cum astu fallere volunt, fratres appellant) fuerunt: At erga Turcam humani, & fideles. Si consideremus, quid cum illis egerint, ignorare non poterimus quid in nos cogitarint. Vti vero res clarior omnibus etiam iunioribus consiliarijs etiam illis, qui Caluiniana pocula prensant, euadat, de Turca pauca dicenda sunt, vt appareat quo in discrimine sint, quos Caluinistæ illi vendiderunt. 1. Omnes à supremo Vieziro, ad infimum lignatorem, mancipia sunt, & ipsi, & liberi, & fortunę. 2. Omnes Principes, nobiles, seruituti inassuetos è medio tollunt, vt spicas eminentes. 3. Omnium bona cum opus putant, eripiunt milites. 4. Pueros bonæ indolis parentibus e-

ros Turcæ mancipant, militiæ & libidinibus addicunt. Huic Tyranno tot Principes Collegas, Comites, Barones, Nobiles, ciues prodiderunt Caluiniani: his periculis eminentissimum quemq; obiecerunt. Hoc egêre tot legationes apertæ, clandestinæ. Nec dissimulat Rex Britanniæ, cui erant notæ machinationes, anno 1619. die 18. vt est pag. 112. Legati quos minimè decebat, vehementer in hoc incumbebant Constantinopoli, vt magnum Turcam eo permouerent, quo milites ad fines Hungariæ mitteret, qui territis Vngaris Ferdinando nocerent; nec terrerent modo, sed munita loca occuparent. quod postea docuit experientia, prodita Vacia. Ingens odium omnium ordinum. Vt Ferdinando nocerent, Vngariam regnum nobilissimum Turcæ in manum tradunt: Tanto ardore Turcam sollicitant in Catholicos & Lutheranos Vngaros, quanto olim tota Germania ad eos defendendos concitabatur. In Vngaria, Vrbibus præcipuè montenfibus, plurimi sunt Lutherani, non multi Catholici, Caluiniani pauciores, Caluino-Turcæ plures, hos omnes vno die Turcæ in seruitutem dare, quantæ sit crudelitatis, ipsi optimè Vngari intelligunt, quorum nunc plerique in caput proditionis Gaborem consurgunt. Et tamen (audi cœlum, audi terra, audi Augustana Confessio) persuaserunt Lutheranis Caluinistæ, vt supra vires, supra opes, ex sanguine ciuium pecuniam conferrent, qua multa centena millia animarum Augustanæ Confessionis in Turcicam, Tartaricamque seruitutem venderentur, raperẽtur, circumciderentur, castrarentur, in Ianizaratu contra Germaniam ad prælia erudirentur. Hęc qui Constantinopoli agunt, dexteri vocantur, qui scribunt acta, seduli, qui in Germania audiunt, vt lætissima noua diuulgant, bonorum nunciorum baiuli habentur. Olim cæso Turca per omnia templa Deo grates agebamus, idque pro vno prælio oppidoue, nunc prodita tota Vngaria de nostris malis triumphant Caluinistæ, tum gaudio immorituri, si Dresdæ Bassa stabularet. Quid obsecro si Turca veniisset; si in Bohemia, Austria, Silesia amicus Turcę exercitus, in Vngaria Caluinistica factio, Gaboris arma, Turcicæ vires sæuijssent? vno mense Vngariam, Austriamque oppressisset. Hunc in finem,

nem, ſapiens Noriberga, diues Vlma, contentioſum Argentoratum, pecuniam contra veſtrum Cæſarem quaſi pro libertate, ingenti numero contuliſtis, & veſtra autoritate minora oppida traxiſtis. An Caluiniſtæ, Turcæ, proditores Hungariæ, potiores ſunt veſtræ religionis, & libertatis patroni, quã Imperator, quam Sereniſſimus Saxoniæ dux, alijque? Quam rationem Deo, imo ciuibus reddetis? Illi ſanè ſi viri ſint, reposcent, imo cito, & bono iure reposcent, & reposcentibus fauebit, quiſquis non eſt proditor.

CONSIDERATIO XXII.

PORRO etiam huic conſiderationi inſiſto, nec eſſe moleſta poteſt vlli, niſi Caluino-Turcæ, proditori, dæmoniaco: conſiderationis cauſam Gaborianæ literæ dederunt, pag. 192. Ille vt mancipiũ fidele & frugi; quo eum Dominus Turca vitalem putet, magnificè ſe illi iactat, Regiones illas incorporatarum prouinciarum in poteſtate, & deuotione Turcarum eſſe. Venetijs Caniſiam vſque, inde Budam & Morauiam verſus, omnem aditum GERMANIS intercluſum. Podoliam à Tartaris occupari facili negocio poſſe, pag. 314. promittit ſe Vngariam Turcæ ſubditurum. Ferdinando duas tantum modo vrbes ſupereſſe. Quibus hic aditus intercluſus? GERMANIS inquit, hoc eſt, Turcæ hoſtibus. Per quos? Per Fredericum, Anhaltinum, Anſpacenſem, Noribergenſes, foederatos. An non illi Germani? Lingua, non animo, qui patriam Tyranno produnt. Non eſt Lacedæmonius, qui Spartam prodit. GERMANIS, inquit, non Catholicis, non Lutheranis, ne Caluinianis quidem: de religionis noſtræ ſubtilitatibus ille non laborat, regionem, & ſeruitutem quærit. Væ nobis, ſi viciſſent; Nam claudere Vngariam, Morauiamque Germanis, eſt Germaniam Turcis patefacere, & ne dubitemus; Gaboriam Bauaro extrema minatus eſt: Qui ſaluus eſt, quia non timuit.

CON-

CONSIDERATIO XXIII.

NECDVM Ottomannicæ considerationis finis ; quia horrendæ proditionis non est modus. Gloriatur Gabor , se, Bohemos, Vngaros, alioſque impediuiſſe, ne Hiſpanus, Ferdinandus, Polonus, Turcam oppugnare poſſent. pag. 194. Et quod os tam imprudenter menti ſuæ contraria proferre audebit, vt neget eos in pectore geſtare Antichriſtum Orientalem? Gabor idem ille Heidones à Turcis infeſtandis vocatos, in Ferdinando oppugnando , animumque, vigoremque oſtentare imperat, ſe pacem Turcicam rupturum, aliam Heidonibus vtiliorem facturum promittit, anno 1620. Sultanum ſibi fauorem , auxiliumque promiſiſſe, apud Portam ſe per legatos Batauos , Britannos , Venetos adiuuari. Bohemos, & Vngaros etiam adeſſe. Quid audio? Per hos Germania proditur? Hoc agunt Caluiniani, & per Caluinianos Catholici , ſi tamen de Venetis Gabor ſuo more non mentitur, nam vt pacem cum Ferdinando violarent , nullis promiſſis induci potuerunt. Sed de Catholicis queri non poſſumus, Auguſtanæ confeſſionis nobiles vrbes , in media Germania, ſua pecunia illas legationes adiuuerunt.

CONSIDERATIO XXIV.

NIMIVM duro me verbo vti arbitrantur , dum Proditores appello. Rem igitur dicam, ipſi verborum lenitatem me doceant, qui iraſci nondum poſſunt , etſi Turcis tradi videãt patriam. anno 1620. die 18. Iul. Baſſa Budenſis Gabori ſcribit, ne inſcio Ottomanno pacem ineat cum Ferdinando , ne ira magnæ Portæ grauetur, deinde vt Watzen , ſeu Vaciam Begæ Strigonienſi tradat , ſi Gabor miniſtrum fidelem ad ſe mittat facilè ſe effecturum , vt munitio illa ſine ſanguine occupetur , ita culpam Gabori dari nõ poſſe, quaſi ipſo conſcio factum ſit. Melius eſſe vt id iam eo modo clam perfici Gabor permittat, quam ſi poſtea ex pacto inito publicè facere cogatur. 1. Gabor igitur ſine Turca pacem facere non potuit. 2. Si

faceret

faceret, iram Portæ sibi imponeret, hoc est, acinacem. Dominus seruo malum minatur. 3. Iam antea pactus erat, se traditurum Vaciam, insigne Vngariæ propugnaculum, si Rex eligeretur. 4. Bassa de Vngarorum voluntate, & electione ambiguus, traditionem Vaciæ repræsentari iubet. 5. Occultè, ne si conscio Gabore factum videretur, animos alienaret. 6. Gabor tradidit. 7. Quod omnium horum factorum nequitia maius, detestabiliusque est, causam traditionis Ferdinando impingit, quam calumniam Deus iam reuelauit. Et omnibus documentum dedit, ne quisquam credat Caluinistis: nam Vacienses Lutherani, & Catholici iam eo loco sunt, vt Turcas graues quidem dominos, Caluinistas dæmonibus atrociores senserint, sed tamen & hoc scelus Caluinistæ perdiderunt: nam & illi in ordinem rediguntur. Hic multa magno animo considerãda occurrunt. 1. Regem Vngarię Bassæ Turcici famulum esse. 2. Iram Portæ timere, vt nequam mancipia flagellum. 3. Inscijs Vngaris, à quibus ad regem vocabatur, eorum propugnaculum Turcæ vendidisse. 4. Vendidisse vt Turca eum regem esse sineret. 5. Hoc modo magnam Vngariæ partem Turcę subdidisse. 6. Bassam Gabori nõ credidisse, si enim fidelem credidit; cur ante diem exegit? 7. Gaborẽ extrema exspectare ma uisse, quam pacem facere, ne iram Portæ sustineret. 8. Bassam diligenter cauisse, ne Vngari scirent conscio Gabore Vaciam traditam. 9. Id non amore Gaboris, quem apud Portam accusarat, sed ne Gabor Vngaris offensis occasionem tradendi amitteret. Duplex est proditorum genus, Prius malum quidem illud, sed simplex, sed miserum, cum vrbem aut arcem hosti, pactis pretijs contradunt, atq; amissa apud vtramque partem fama execrabiles viuunt. Alterum callidum, versutum, quod ista hosti opportuna loca prodit, vt tamẽ facillimè à se suspicionem in alios transferre possit. Hæc qui dexterè faciunt, ab hoste munera ingentia accipiunt; apud suos auctoritatem retinent, rebus præsunt, euertere mundum possunt. An ex hoc genere proditorum sit Gabor, definiant Vngari, vel Caluinismi. An aliqui Germaniæ Principes huiusmodi proditionibus præfuerint, mox acta publica docebunt.

CON-

CONSIDERATIO XXV.

NIMIVM diu me vnius munitionis consideratio tenuit; qui Turcam, aut diabolum Imperatorem malunt, quam Ferdinãdum, insigni stratagemate, sine prælio, quasi summo iure Imperium Romanum Turcis offerre statuerunt. Comes Hollachius anno 1619. die 14. Nouemb. alio modo Turcam, aut malitia si intellexit, aut stultitia si non considerauit; Dominum Germaniæ facere voluit. Bonum factum arbitratur, si Vngaria sit Germanici Imperij membrum, atque adeo Electoratus. Causa est: Quia Gabore, qui liberis caret, mortuo; in Palatinum transferretur, is tum tria suffragia propria, & vnum ancillare habens, rerum facilè potiretur. vide pag. 217. Id fieri vix posse existimat Anhaltinus, consilium tamen militare Hollachij politicismo temperat: Vngariam prius constituendam Imperij circulum, vt sit sub protectione Germaniæ, deinde per maiora vota, vel consensu sanioris partis (id est, Caluinianæ) fieri posse Electoratum. De vnione & augmento Collegij Electoralis mihi iudicandum non iudico. Quod hac in re considerandum est, non taceo, & sane tacendi mihi causa non est. 1. De numero electorum non priuato comitis decoctoris consilio, sed omnium principum electorum agendum est. 2. Tam antiquam legem paucorum sententia abrogari, aut de abrogatione tractari, contra ius naturæ est. 3. Si augendus est Electorum numerus ad eligendum Imperatorem Germanicę nationis, is honor alicui Germano Principi deferendus, non extero. 4. Id agendum communi consilio, non vnius partis, quæ falso fastuoseque saniorem appellare se consueuit. 5. Elector nouus eligendus est, qui religionem in Imperio permissam colat. 6. Nec alienum mancipium ad liberam electionem accipiendum nemo non videt, à quo si dentur suffragia alicui, quem Turca non probarit, is iram Portæ formidet. 7. Si externus eligatur, alium quoque Germanum eligere est necesse, vt sint suffragia inæqualia, nec locus sit schismati. 8. Perfidus est & iniurioſus, qui ista meditatur, quia singulorum Electorum dignitatem

minuit,

minuit, dum in plures honorem potestatemque vulgat. 9. Finis huius machinationis quo tendat què latet? Quid his ambagibus aliud quæritur, quam vt Palatino tria suffragia consent, Palatinianum, Bohemum, Vngaricum, duo regia, vnũ Vicariatus, cui addatur tertium ancillare, & pedarium Brandenburgici Marchionatus. 10. Erunt vero illa suffragia non modo paria numero, sed potentiora viribus, magnificentiora Britannica affinitate, & regijs dignitatibus dicerentur saniora, ea qua ipsi sibi blandiuntur, adulatione. Notauit hoc Anhaltinus, ideo non existimat collegium Electorale consensurum. pag. 219. Gabor autem vehementer rem illam, callideque egit, imo grauiter iratus est, cum lentè frigideque responderi animaduerteret. Cur obsecro id agit? Vt scilicet suo arbitrio Imperatorem eligat, id enim Turcica suffultus potentia poterit. Nam quemadmodum olim Themistocles iocosè concludebat, Athenas à filiolo suo, petulco puero regi, ita serio Imperium à Turca regetur. Gradatio Themistoclea erat: Quod ego volo, hoc Athenienses volunt, faciuntque. Quod vxor mea vult, hoc ego vxorius volo, iubeoque. Quod puerulus vult, hoc mater indulgens vult; ergo quod puer vult, volunt Athenienses. Hoc loco certissimũ est; Gaborem non alium Imperatorem electurum, quam velit Turca: quia in eius se deuotione mori & viuere, toties iurauit; deinde, quia in eius est potestate, nam Vngariæ munitiones illi traditurus erat, & se facturum minatus, nunc quoque exspectat auxilia Turcica, vt amissa recuperet, possessa tueatur. at quod Gabor volet, Palatinum quoq; velle necesse erit. Nam ille, Bohemique se quoque Turcæ addixerunt, & Germanis aditum in Vngariam intercluserunt. Deinde aliud velle non audebit, aderit enim cum Vngaris, Heidonibus, Turcis, Gabor, & extrema minabitur. Brandenburgicus etiam famulo voto Turcæ, Gabori, Palatino seruiet. Hic si cum reliquis Saxo resistet, metu Britanni, Batavi, Franci, miniisque aggredientur, & per Lusatiam apertum iter Dresdam vsque præstabit Antirex Bohemiæ. Colonienſem vastabunt Batavi, Moguntinum Palatinus, Treuirenſem Bullionius. Si igitur Turca volet esse Imperator, id illi velle co-

gen-

gentur, deducentque per Noribergam, Francofurtum vsquè, sed multis cum legionibus. Nec mirum hoc videri illis debet, qui iam hoc momento Turcam quam Ferdinandum Imperatorem mallent, qui etiam diabolo homagium præstare satius arbitrantur. Hic est Gaboris scopus, hinc eius ira, dolorque. pag. 222. hanc in causam opes vestras stultè prodigæ ciuitates effudistis; hoc religionis & libertatis patrocinium Lutherani, consortio Caluinistarum, vobis imponitis, nisi libere, fortiter, actutum eos deseritis.

CONSIDERATIO XXVI.

ATQVE hæc ita constituta sunt, si Palatinum consequi Imperium Turca nollet: nam vt Gaborem imaginariũ Vngariæ regem esse voluit, pactis regni munitionibus, & in se translata potestate; vt sic minore motu nobilem prouinciam subiugaret; si eius gubernatorem regem potius, quam Bassam Vngariæ appellaret, ità fortè mallet habere Fredericum Imperatorem sibi seruum, quam esse Imperator: Magnum enim videri posset Barbaro, dominum esse Imperatoris. Fredericum verò nos experiremur auarum, crudelem, contumeliosum, velut Narcissum, aut Felicem aliquem; Impotentissimè enim dominantur, qui humilimè seruiunt. Sunt enim meticulosi, & degeneres, ideo iracundi, & crudeles. Metu enim principes seruiunt. Fredericum verò eo tendere, nummaria adulatio ostendit anno 1619. Noribergæ sparsa est noua moneta, hac inscriptione: Fridericus rex Romanus. 1622. & Fridericus Imperator Augustus. 1623. Infelice augurio, sed ingenti tamen malitia: maiore Lutheranarum vrbium vecordia. Quid enim? An Fredericus Imperator Tubingensib. Theologis iam viginti annis reciprocis scriptis sibi infestis, non facilè silentium indicet? Risi cum legi Legati, qui in electione Francofurtensi erat, consilium, quo suadebat vt Schawenbergico ius Academiæ daretur, acceptis 100000. floren. pag. 151. Quid non mortalia pectora cogis, auri sacra fames, & turpis egestas? Quo iure Comiti ius illud dare Fredericus potuit? An Palatiniano, an Regio, an

Vicario

Vicario? an correſpondentiali? an impoſtorio? an nullo? & hæc ſunt Caluino-Turcica in perniciem Catholicorum, Euangelicorum, atque adeo Caluinianorum conſulta, cœpta, partim effecta. nunc aliqua de affectu eorum erga Lutheranos conſideremus.

AD CONSIDERATIONEM XXVI.

NOTÆ.

Miratur Conſiderator, Camerarium conſuluiſſe, vt ius Academiæ Comiti Schauenburgio permitteretur, at ego magis miror, etiam Principis dignitatem hac eadem pecunia Comiti venum propinatam; vt ſcilicet Hochgeborn! *quod ſolis Principibus hactenus tributum eſt, ſalutaretur: merito itaque exclamat,*

——Quid non mortalia pectora cogis
Auri ſacra fames?

Miratur qua auctoritate permiſſurus fuerat (ſi feciſſet) Palatinus: ego longe magis qua auctoritate vt Imperij Vicarius, Iudicata Imperialis Cameræ reſcindere tentarit; quæ aſſerebantur ad Religionis controuerſiam pertinere; nec pari vtriuſque Aſſeſſorum numero iudicata fuiſſe; cum ipſe reuocatorio concilio ſolos Caluinianos adhiberet. Sed hic eſt Spiritus Caluiniani non poſtremus conatus; vt omnia ad nutum moderetur, rata irrita; irrita rata iubeat; ſi quolibet pacto ſibi prodeſſe iudicet.

CONSIDERATIO XXVII.

ANno 1618. ante Matthiæ mortem corona oblata eſt Palatino, pag. 48. deliberatum tum eſt, quid reſpondendum ſit Bohemis, exiſtimabant autem, ſi exercitus 15000. aliunde adduceretur, fore vt Lutherani deteriore conditione eſſent; **daß die Lutheraner den Kürtzern ziehē!** occultum erat certamen ſed ne eſſe videretur, Caluiniani ſatagebant, tanto aſtu, vt Lutherani Caluinianū caput ſibi imponerent, id initio

Caluiniani ſperare non poterant ; ideo exercitum pere grinum Catholici principis adducere decreuerant, vt Alſatiam occuparent ; non vt Catholici opprimerentur. Illi enim iam tum iacebant. Sed **daß die Lutheraner den Kürtzern ziehen.** vt dominentur Lutheranis. Cõtra eos Caluinianus internus exercitus, & deinde externus 15000. conducitur exercitus Italo-Gallus, Catholicus & Zelotus. vide pag. 33. Quid perfidioſius cõtra Lutheranos agere Caluiniſtæ potuerunt ; quam vt externum contra eos militem cogerent ? Magna vero arte Bohemos, Lutheranos, & Germanos fefellerunt. Bohemos quia 15000. eos terrere conſtituerant; ne in principem Lutheranum vota conferrent. Saxonem tela iſta petebant. Germanos autem, quia eorum pecunia hoc agebant; vt deteriore eſſent conditione Lutherani. Ne vel rex Bohemiæ, vel Imperator fieret Lutheranus, ſed Caluiniſta. Hanc deteſtabilem vnionem etiam nonnulli miniſtri Lutherani ſimplicitate, alij ſemi-Caluiniana malitia defenderunt. Imo non viderunt Saxoni cunctiſque Lutheranis, Catholicum, internis externum ; vigentibus ſenem eſſe præpoſitum.

CONSIDERATIO XXXVIII.

VERVM nihil triſtius accidit genuinis Lutheranis, nihil indignius heroico Saxoniæ principi, quam quod legationibus, blanditijs, eum affectati imperij reddere ſuſpectum Cæſari, alijſque principibus conati ſunt. Vt Auguſtanam Confeſſionem perduellionis crimine infamarent. Saxonem verò afflictum, ludibrium Europæ redderent. Id egit Comes à Sclick, quem dolent per multiplicia artificia impetrare à Saxone non potuiſſe, vt ad coronam accipiendam conſentiret. Æterna laus Saxoni, qui contra Satanæ artificia, inuiolatam iuriſiurandi religionem tenuit, qui cõtra tam magna promiſſa ſtetit inuictus. Verum fraudulenter omnia cum Saxone acta ſunt, non enim artificia illa eo tendebant, vt in regnum Saxo locaretur, ſed vt in ſterile ſcelus, cuius fructum acceptu-
rus erat Fredericus, conſentiret. Vt infamia facinoris penes Luthe-

Lutheranos, præmium penes Caluinianos esset. Missus est ad electionis iam pene diem Schlickius iterum ad Saxonem. Sed vt refert Dona pag. 164. nihil de electione in mandatis habuit, imo vetitum illi fuit, de electione agere cum Saxone: putat tamen eum præter mandata id facturum, sed frustra, cum nullo documento mittentium voluntatem ostendere posset. Dubium quidem nullum est: si Saxo voluisset vti artificijs Fredericianis, facile potiturum fuisse regno. Nam Lutherani valde sunt consternati Generalatu Anhaltini, quanto magis regno Caluiniani principis. Magnus Lutheranorum erga illum affectus fuit, vt Dona testatur.

CONSIDERATIO XXIX.

NON indigna consideratione quæstio est: Cur illi qui Frederici partes agebant, Saxonis consensum tantopere vrgebant? Quid enim opus est: agere vt regnum admittat, cui daturus nemo est? quod iam alteri pro milite Mansfeldico promisistis, obtulistis; maleuolum astũ animaduertite. Saxonem ex suis moribus æstimabant, eum ambitiosum, alieni appetentem, infidum principem, eorum vitiorum affinem, quorum sibi inter se omnes conscij erant, esse iudicabant. Stultus omnes sibi similes putat. Hinc consilijs istis necessarium esse putabant, spe inani eum lactare, donec perfecta electione, ex abrupto desperaret, nec moliri aliquid posset. Ideo ab eo consensum extorquere conati sunt, tanta deinde promittendo, vt Saxo quasi securus suæ electionis, lentius ageret, nullos sollicitaret. Nam si cum Frederico candidatus in campum descenderet magnanimus competitor, si contra Troïlum prensaret Achilles, omnium classium tabellæ Saxonis nomen eductæ ostentarent. Quod si Caluiniani restitissent, non tamen Frederico spes fuisset, diuiso in tres reges regno se potiri posse. Saxonem ergo legationibus illũdere voluerunt. Quod si eo rem deduxissent, vt electionem se admissurum polliceretur, iam famæ suæ, & viribus consultum vidissent. Nam exemplo Saxonis se excusarent, illum voluisse, se potuisse.

Causam pro se iudicatam à Saxone, non posse se à quoquam accusari, à quo non damnaretur & Saxo. Itaque vno isto facto, vel potius verbo Saxonis, omnium Lutheranorum ora se obstructuros non vanè existimabant: Si quis enim Fredericum perfidiæ, perduellionis, maiestatis accersseret, ille eodem Saxonem crimine grauaret, & insuper cum irrisione repulsam exprobaret. Nam Fredericì felix scelus virtus vocaretur, Saxonis infelix crimen duplici reatu damnaretur. Nec maculam elueret ille princeps, si pœnitens Cæsari se iunxisset, quicquid enim præclarè pro bona causa ageret, id dolore repulsæ, & infamiæ feciſſe criminarentur. Deus bone, quos clamores, quos libellos, quas picturas, quas sportulas, quæ cribra, ventilabraque vidissemus! At nunc Saxonis fides, constantia, iustitia, zelus, amor patriæ, horum perfidiam, leuitatem, iniquitatem, atheismum, proditionem damnat. Quia cum leges diuinas, humanasque ingenti præmio tanti regni, tantarumque ditionum transgredi potuisset, non est transgressus. Hæc cum audiunt Caluinistæ, maximè iam, postquam sceleris fructum prodiderunt, ringuntur, & dentibus stridٍent. Quin & vires suas Saxonis errore confirmassent. Quemadmodum enim Bohemię regnum idcirco se accepisse Fredericus est commentus, ne externus Gabor, aut Danus eligeretur, ita quoque simili se apud socerum argumento tueretur, se non cupidine regnandi, sed ne Saxo æmulus, reformatæ religionis inimicus eo poteretur, & tanta potestate præditus, reformatos ad suam religionem adduceret; vrbes Lutheranas, Noribergam, Vlmam aliasque in suas partes traheret; tum vero contenderet, Caluinismum in Imperio non permissum, Palatinatum superiorem in periculo fore; his alijsque haud difficulter auxilia contra Saxonem impetrasset.

CONSIDERATIO XXX.

SPERANDVM tamen aiunt Lutheranis, sub capite Caluiniano. Quid autem sperandum, docet pag. 324. vbi Sculteti, Ius regium in ministris constituendis vrget. In Ecclesijs enim regi immediate subiectis, non à consistorio sed à rege

constituendos ministros ait, nec posse hoc regale tolli. Iamque eo vti cœperant. Nec dubito intra triennium nullum futurum fuisse in his Lutheranum. Bonos enim constituendos Scultetus ait, & cum bona instructione, qui bene doceant populumque dirigant. At bonus minister nemo Lutheranus est Sculteto: Sed violentus veritatis hostis. Quem Lutheranum bonum ille diceret, cui ipse Clarissimus vir Matthias Hoë habetur infamis? Deinde bona instructione imbuendum pronuntiat, Caluiniana scilicet, vt discant Deum ad scelera impellere. Verum hac de re videantur lachrymæ ministrorum Lutheranorum Bohemiæ ad suos in Germania fratres. Ad hoc ergo vrbes, & nonnulli principes Lutherani Schultetum in Bohemiam suis humeris intulerunt, vt ministris Lutheranis Caluinianos substitueret, & hanc commutationem pecunia Lutherana tueretur, stabiliret, propagaret. Et nec dum patuêre dolis? Quam cito Palatinatus, Hassia, aliæ ditiones in Caluinismum coactæ sunt, tam cito Bohemi adigentur, sequemini & vos, qui Caluinismum vobis fortiorem facere voluistis.

AD CONSIDERATIONEM XXX.

COMMENTATIVNCVLA.

Vt succum, quem Considerator instillat, facilius hauriat lector; repetenda sunt prætensiones Bohemorum; quarum scintillis totus hic Rebellionis ignis exortus est. Contendebant illi non solum regni proceribus; sed etiam contra eorundem voluntatem, subditis libertatem competere, quam vellent Religionem amplecti; eiusque exercitium introducere: quodque non soli Proceres; sed ne ipse quidem Rex, talem conatum impedire posset. Errorem firmabant literis Maiestatis, quas appellant, Rudolphi, Matthiæ: & nota sunt huius rei exempla.

Nunc contraria omnia; neque solis subditis, sed etiam regni proceribus negatur libertas de Religione quidpiam constituendi, vt breuiter docebo. Principio enim, omnis potestas ministrorum constituendorum in Ecclesiis Regi, & Reginæ immediatè subiectis; regi asseritur. Quid igitur hic possunt Rege refragante subditi? Deinde, Regni iure, Ecclesiasticorum bona inter fundos Regis Patrimoniales

numerantur, **werden für Cammergüter gehalten** / *Ideoque ex Schulteti positione etiam in his Ministrorum constitutio ad Regem spectabit. Quare igitur tantas turbas excitarunt Brunienſ. ſubditi?*

Tertio euidenter apparet ex occupatione Prioratus in Straconitz eandem Reformationem in reliquis etiam Catholicorum Procerum bonis ſæcularibus paulatim tentatã; & ſi tempus ſuppeditaſſet perfectam, & demum ad Lutheranos & reliquos deriuatam fuiſſe, vbi hic literæ Maieſtatis earumque à Cæſaribus Matthia & Ferdinando ferro igneque flagitata obſeruatio?

CONSIDERATIO XXXI.

VERVM ad Saxonem reuertor, quem magna contumelia Lutherani Correſpondentiales affecerunt, cum melius Auguſtanam Confeſſionem iuratiſſimis eius hoſtibus credi, quam Saxoni eius alumno & patrono iudicarunt. Errorem ſuum intelligent, ſi in tota Germania vnum angulum nominare non poterunt, ex quo eam Caluiniſtæ, cum poteſtas fuit, nõ exegerint. Caluiniani pag. 48. cum de Bohemia deliberant, inter cætera mala recenſent: **An Sachſen kein gute Nachbarſchafft/vnd die** offenſiones **bey Sachſen nicht gering.** Malum vicinum eſſe Saxonem, grauiterq; offenſum. Quis dubitat id eos cogitaſſe, vt vel bonum, hoc eſt, vt ipſi putant, Caluinianum, vt Lutherani cenſere ſolent, diabolum incarnatum facerent, vel Epiſcopatum eius darent alteri, Weimarienſi.

CONSIDERATIO XXXII.

ATQVE ea cauſa eſt, cur tam acerbè, tam contumelioſe Saxonem tractarint. Bohemi, Moraui, Sileſij, Caluiniani cum lacrymis petunt, ne Saxo eligatur, vt Dona ſcribit, Rupa ait pag. 167. pro re nulla alia in templis orari, quam vt Deum timentem regem habeant, ſummo opere deflens infortunium, ſi Saxo vel alius ei ſimilis ad regnum veniret. Ecce tibi Caluinianas lacrymas; non funduntur illæ, ne Bauarus, ne Sabaudus, ne Gabor, ne Turca, ne diabolus ad regnum veniat, ſed ne

Saxo.

Saxo. Nullam enim religionem infestiorem Saxonis religione arbitrantur deuoti Caluiniſtæ. Quod vero infeſtiſſimum nobis eſſe videtur, in illud quoque inimiciſſime ferimur. Quod quiſque timet & odit periſſe expetit. Itaque tam ardenti odio Saxonis pauci præualuerunt, ac in Fredericum cæteros traxerunt, nec mirum; Germanos iam adduxerant, vt ſibi pecuniam darent. Et rerum diſparitatem vide. Caluiniani metu Saxonis fortè venturi lacrymantur, quia Auguſtanæ Confeſſionis eſt, Lutherani ſua pecunia inimicos ſuæ profeſſionis & Saxonis roborant, vt Lutheranos, quos non minus, quam Saxonem oderunt, opprimant.

CONSIDERATIONIS XXXII.

ADDITIO.

Qui dubitat, verumne, an odio Caluiniani ſpiritus, falſum hic dixerit Conſiderator; is exempla recenſeat, non ſolum vetera, Batauorum, Friſonum, & reliquorum ex confœderat is prouincijs Reformatorum ſed recentia, inferioris & ſuperioris Palatinatus; vtriuſque Haſſiæ, Caſſellani ſcilicet & Marpurgenſ. poſt defunctum Ludouicum, Principatus, & Bohemiæ ipſius, & multa ſollicitudine quærat vel vnum Lutheranum miniſtrum, qui eleemoſynæ ſaltem cauſa in ſuo miniſterio relictus fuerit. Mauritium, Lutheranos ex Marpurgenſ ditione exturbantem, monuit Paræus Heidelbergenſ. Præfatione in Oſeam, Macte Heros Diuine, age opus Domini quod agis ſidenter. & Poeta Caluinianus ad Caſimirum, Lutheranos ex Palatinatu abigentem:

O Caſimire potens ſeruos expelle Lutheri,
Enſe, rota, ponto, fumibus, igne neca.

CONSIDERATIO XXXIII.

NEc minore in odio Saxonē eſſe video apud Caluinianos, quam eſt ipſe Ferdinandus: Illum etiam in Luſatia tyrannidem exercere Fredericus ſcribit. Eum acerbius irriſerunt; vt ſup. oſtendi, & 85. pag. Imo Saxonē in cauſa eſſe arbitrātur, cur Ferdinādus electus ſit. alioqui facile diē electionis prorogari,

prorogando impediri potuiſſe pag. 153. quin & pag. 160. queruntur Palatiniani legati, non accommodare Saxonem ſe Palatino, denique Saxonem eſſe Moguntinenſem; **Sachſen ſey Mäyntziſch.** Rectius dixiſſent: Saxonem germana ſinceritate, fide, fortitudine agere, & eis qui in eo modo agerent, ſe iungere. Nec minus bello quam pace Saxonem timuerunt. vehementer ſolliciti fuerunt, ne opera Saxonis bellum componeretur. Nihil magis ambitioni obſtat, quam pax.

CONSIDERATIO XXXIV.

NE illum quidem principem, quem regem Bohemiæ Germaniæque conſtituere decreuerunt, vnquam amarunt, nec in eo aliud quam pecuniam quæſierunt, nec aliud quam ſenectus eius illis placuit. Quid enim poſſet ille, non video: Auſtriacis & Hiſpano inuitis imperaret, Palatinus Alſatiam vtramque occuparet, in Bohemia regnum precarium, ſeruitutem iuratam haberet. Nullæ igitur eius vires, in Frederici eſſet poteſtate, cui illum Bohemi quocunque tempore liberet, captiuum traderent. Quid enim in Germania illi darent? Alſatiam & Epiſcopatus Correſpondentia occuparet, imo ante eius ingreſſum, in ordinem redigendi erant Eccleſiaſtici. De ſuo nihil vnio concederet! an Lutheranis igitur ſolis imperaret? imo vero nihil horũ, ſed laruam regiam, & ludibrium omnibus gentibus efficerent.

CONSIDERATIO XXXV.

QVAM ſimulatè, fucateque eum tractarint, ex cauſis legationis, quas retulit pag. 103. cognoſcere promptum eſt, prudentiam, fortitudinem illius collaudant, non aliter ac ſi puerum ſenem demulcerent. Nec minus tamen dum hæc aguntur, de Ariſtocratia inſtituenda Bohemi conſultant: verum id non potuerunt, Electorem enim regem, nõ conſulem, aut directorem eſſe oportet. Denique cum Palatinus coronam accepit, vix principi, quem eam ad rem ſeligere voluit, ſatisfacere dignatus eſt.

CON-

CONSIDERATIO XXXVI.

BOHEMIS consilia sua nunquam crediderunt, sed eos quemadmodum, & Lutheranos Correspondentiales deceperunt, paucis enim confidentibus secreta consilia communicarunt. pag. 44. & 53. Nec animis in se tam pronis, nec beneuolentia, qua ad regnum vocabantur, adducti sunt, vt non illa animo agitarent, quæ illis odiosa, obfuturaque certo scirent. Hoc vnicè agendum monent, ne offendant Lutheranos. Verebantur enim ne ad Saxonem apertè inclinarent, aut apud Noribergenses querelas deponerent. Quemadmodum igitur Gabor Vngaros Turcæ in seruitutem tradere voluit, sic miris artibus Bohemos circumuenire Caluinistæ instituerunt: eoque rem adducere, vt si quis se commoueret fiducia Lutheranorum, eum potentia Turcica perterrefacerent. Omnia quæ Francofurti, Argentoratiq;, artibus perfidorum noua cuduntur, minas Turcicas hoc anno prætulerunt, ne victi desperarent, sed impia vota pro Turcæ victoria nuncuparent. Et nunc dum hæc considero, intentissimo studio, imo furore agitur, vt Turca bellum faciat Ferdinãdo, vt eum per has inducias auertere possint.

CONSIDERATIO XXXVII.

PORRO affectus in Bohemos se prodidit. Anhaltinus enim potius militem in Bohemia relinquendum, quam in superiore Palatinatu collocandum arbitratur, causam adiungit, quod magis talium assueti sint Bohemi, quam in Imperio habitantes. Bonum factum: Regem elegerunt ranæ Ciconiam. Rammus nouit vti iure suo in cedros. Cur militum insolentia potius premendi Bohemi videntur? Quia assueti sunt. Non igitur respirandi dandum spatium? Nonne in alios partienda onera? Non inquit, constanter miseri sint, miseriarum consuetudiue obdurescant, pacis dulcedinem ne gustent, vt bellum ament. Cur hoc ipsum? Nondum puri Puritani sunt vt in Palatinatu, alieni sunt, hæreditarij non sunt. Premantur ne in

regem incurſent. Militi ſuppeditent, vt panem, non priuilegia cogitent. Ipſi ius delectuum ſibi ſtatuerunt, mihi regi negarunt. Diſcant milites meos colere, qui ſuo me delectu in officio continere voluerunt. Regnare à ſocero, ab auunculo, ab affine didici, non Auſtriaco more ſubditorum inſolentiam mea lenitudine firmare.

CONSIDERATIO XXXVIII.

NEQVE ſuis intimis, nutritoribuſque, vnde vita, neruus, & coagulum Vnionis conſtabat, ſua conſilia crediderunt. pag. 84. Anhaltinus ex propoſito Noribergenſes celat, de militum multitudine colligenda, vt melius in cauſam trahi poſſint, denique etiam illos, & alias vrbes, de propoſito & effectu exercitus, adeo vt dubitet, quid reſpondendum ſit interrogantibus, niſi ad inſtantem neceſſitatem, & pericula amolienda, remedia ac ſubſidia quæri. Cum vero deciſeſe ſentirent, & grauatè ſequerentur Noribergenſes, monetur Anhaltinus vt veniat, **vnd jhnen die Köpff ein wenig zu rechte ſetze.** Oderant Noribergenſes, quaſi parum morigeros, nimium curioſos, præſertim cum particularia expeditionis inquirerent, generalibus contenti eſſe iubebant, & argentum dare. Generale erat propoſitum, bonum publicum tueri, clades auertere: particularia vero, Exteros inducere, primo Catholicos Lutheranorum ope opprimere, deinde Lutheranorum capita rectè, id eſt, Caluiniſticè collocare, & ſi quæ ductum concinnantis non ſequerentur, loco mouere. Secundum illud Palatiniani Aulici ſcriptum: *Non poſſumus mouere ſaxea iſta corda* (Saxonem Ducem, & Lutheranos intelligit) *quid ſupereſt, niſi vt ipſos vna cum Papiſtis opprimamus.* (Auritus & oculatus teſtis loquor.) Quis non miretur vrbem alioqui prudentem, tanta irriſione in fraudem inductam? verum mercatorio illa contractus, non politicas negociationes callebat, artes mechanicas non machinas Caluiniſticas didicerat. Tantum porrò opum illa ſtultitia effudit, quantas nunquam ſe habere fatebitur.

AD

AD CONSIDERATIONEM XXXVIII.
NOTATIVNCVLA.

Considerator innuere videtur, Noricos errore, non maleuolentia lapsos. Vtinam de reliquarum ciuitatum pluribus, non ambigo; de Noricis dubito vehementer. Rationes subijcio; ne tam detraxisse quam ratione iudicasse dici possim. Principio sciendum est, Vrbes Imperij principaliores (vt ipsi opinantur) ius quoddam directionis in minores habere; adeoque has ab illis quasi totas dependere debere; vt scilicet omnia consilia cum illis communicent; neque in grauioribus quidquam nisi illarum auctoritate decernant Hac iniuria temporum vsurpata Imperij ratione; Argentoratum; VVormatiam, Spiram, VVeissenburgum ad Rhenum, Landauiam: Vlmã, Nordlingam, Halam Sueuorum, Hailbronnam, Memmingam, Campidonum: Noribergã. Rotẽburgum, Suinfurtum, VVinsheimiam, VVeissenburgum Noricum, in nefanda illa fœdera pertraxerunt. Frideberga, Gellhusium (quamuis Palatini Clientelæ obnoxium) VVetzflaria non consenserunt; quia eodem iure à Francofurtensibus, qui hactenus in fide Imperatoris immobiles permanserunt, diriguntur.

Cæterum vt esca commoda reperiretur: sub qua ferrum occulerent, quod immissum ori hæreret: persuaserunt Vnistæ, instandum esse Donauverdanæ repetitioni, eam enim executionem exemplo fore, vt paulatim etiam in illas, prætensis inobedientiæ causis, Imperialis Bãni fulminæ iaciantur, & executione facta, Religio hactenus culta exulare iubeatur. Eam restitutionem nullis precibus nisi sub conditione restituendorum belli sumptuum, impetrari potuisse; superesse, vt Vnionis armatis precibus extorqueatur.

Speciosa oratio, quæ non solum illos facile permouit, qui postquam in Gallijs, Anglia, Belgio Caluini venena non sorbuerunt modo, sed ijsdem se inebriarũt, inde reduces in senatorium ordinẽ irrepserũt, & potiora Reipub. officia vsurparunt, suæ insuper perfidiæ Aduocatos, Syndicos, Consultores asciuerunt, sed illis etiam benigna visa est, qui aliud nihil, quam quod verba sonabant, sibi persuaderi posse credebant. In pacta itaque & fœdera itum est, quibus

tus generaliter cauetur, libertatem Germanicam vel ferro tuendam esse.

Ad rem vero dum ventum est, disquiritur de euertendo mundo, de domo Austriaca delenda; de partiendis Ecclesiasticorum Principum bonis, de Palatino ad Regna euehendo, de Gabore, imo Turca in auxilium asciscendo, de diabolo Imperatore constituendo. De Donauverda restituenda, nihil in arcanis reperitur. Et tamen ciuitatibus Imperij non iam aliquot centena millia, sed multi miliones periere, Donauverda in eodem statu, quo Vnionis iuitio fuerat, permanente. Videtis Imperialium vrbium ciues, quorsum Rerumpub. vestrarum census, quos tanto sudore confertis, impendantur? Ite nunc, Caluini spiritui vos submittite, vt Caluiniani in Rebus pub. vestris dominentur, curate, atque si hoc monitorio non sapitis, desipite.

CONSIDERATIO XXXIX.

NVLLVM simulatum est diuturnum: multis enim modis proditur etiam à tacentibus animus malus. Tota Europa clamabat, vrbes in fraudem induci; tandem cum iam viderent Palatinum vti ad sua commoda milite communi, responso non dignari vrbes, maiorem pecuniam exigi, minoribus oppidis præsidia velle imponere: Tum demum periculis & rei indignitate ad rerũ suarum considerationem redeunt, hactenus non nisi prædas animo conceperant. Cum enim bellum gerit Vnio multorum capitum, non est in illa animorum vnitas, nisi cum spe lactantur. Nam cum vicêre: de honore & præmijs semper discordiæ oriuntur. Singuli sibi vt magna merita tribuunt, ita magnam mercedem poscunt. Nec vnquam ita distribui illa possunt, vt non plerique querantur. Non enim quid ipsi acceperint, sed quid alij, perpendunt. Indignantur non modo si prælati sint quos nollent, sed etiam si pares facti, quos putant impares, aut sane propiores, quos longè infra se positos esse iustum censent. In periculo autem continuo secessiones faciunt. Calamitas enim maleuolos efficit, cuius est causa naturalis, deinde omnis clades seu verè seu falso, alicui ex confœderatis imputatur; ideo inde initium discessionis est. Idque eo magis, quod in multorum consessu sententiæ di-

uersæ

uersæ sunt, præcipuè in modo ac ratione negocia tractandi: hinc fit, vt quamcunque viam insistant executores, eam multi improbent, causamque reddant, omnium aduersorum quod in suam sententiam itum non fuerit. Deinde in periculo suæ quisque securitati seosum prospicit. Hic anno 1619. cum exercitum haberent, rex Bohemiæ nouus omnia promitteret, nihilominus vrbes professæ sunt, rebus suis aliter se consulturas, solui enim Vnio etiam sine bello debuit. Quia ciuitates dundi, principes accipiendi munus vsurpabant. Aut si & ipsi darent, alia tamen negotiatione recipiebant. Et nunc Catholici aut Lutherani in nos æquos speramus fore, qui in fœderatas vrbes fuêre tam iniqui? Qui ante cladem in summa prosperitate adhuc durante inaugurationis plausu, de secessione & dissolutione Vnionis consilia capiunt.

CONSIDERATIO XL.

HAc de causa tam cauta sollicitudine, de secreto sibi mutuo stipulati sunt: initio Principes ipsi secretarij fuerunt, pag. 14. omnes institutum celant. pag. 56. Cum iunior Holsteinianus intellexisse aliquid videretur, magnoperè trepidant. Verum cum initio Vnionis Principes secretarij essent, multis tamen res Principibus, & nonnullis vrbium communicabatur. At Trium viri ea secreto agitarunt, quæ nec Principibus alijs, nisi sero Durlacensi, qui ad facinus aptior videbatur, vnquam significarunt. Nam vt de Turcica proditione taceam. Quis Lutheranorum in hoc consentiret, vt externum Principem, Italicæ, Gallicæque nationis, Germanis non fauentem, Catholicum, à Papa dependentem, filios Cardinales habentem, alios etiam in Hispania honoratos, belli ducibus Catholicis, exercituque ab Euangelicis alieno, in mediam Germaniam induceret? præsidia vrbibus imponeret? dominatum Caluinistis erigeret. Hoc tam grande malum, grande secretum requirebat, ne proditum auditores pessundaret.

CON-

CONSIDERATIO XLI.

QVAM cordi illis in hac ſecretiſſima molitione fuerit regio, dicere nihil eſt neceſſe, cum manifeſtum ſit omnium iudicio, dominationem Caluiniſtis quæſitam. Omnes priuatis commodis incubabant, ſibi, non publico conſulebant, pag. 244. Anhaltinus in ſumma rei pecuniariæ inopia, cum iam eſſet in Bohemia, ſibi tamen ſtipendia in Imperio procedere voluit. Opes enim collegit, vt iam etiam Bohemis mutuum dare valeret. Turbatis aquis anguillas cepit. Multorum calamitate eius opes creuerunt. Palatinus quidem ære alieno obrutus eſt, In Palatinatu exhauſtis ſubditis, ſpoliatis pupillis, ſed tamen Generaliſmatu ſubleuabatur, donec & eius fructu cadere coactus eſt.

AD CONSIDERATIONEM XLI.

GLOSSVLA.

Quid ſinguli iudicent, vt ſcire non poſſum, ita inquirere non placet, quia laborioſum foret oppido, & precium operæ non reſponderet. Quid vero ex ſecretis pro hac Quæſtione reſoluenda poſſit elici, & dictu facile, & probatu inconuincibile. Diabolum, quam Ferdinandum Cæſarem malunt; At Diabolus omnem omnino Religionem euertit, Religionis ipſe primus deſertor & Apoſtata: nihil enim niſi noſtrum interitum quærit, 1. Petr. 5. verſ. 8. ſin ſub ipſius Imperio ſecuritatem ſibi Caluiniani promittunt, iam palam pronunciant vera eſſe, quæ de ipſis ſcripſit Philip. Nicolai in refut. relig. Caluin. pag. 134. & refertur à R. P. Adamo Contzen de vera & fida pace Germ. lib. 1. cap. 16. motiua prima.

CONSIDERATIO XLII.

IVCVNDVM erit, quandoque audire quibus artibus pecuniam ab vrbibus expreſſerint, non ordinariam illam, ſed extra ordinem, tum interdum anticipatam ſolutionem poſtulant, aliquando mutui nomine prædantur; Danicum aurum in Bohemiam mittere Gubernator Heidelbergenſis optabat,

vrbium

vrbium offensiones timebat. pag. 332. Quam vero subdolè aurum conquirerent, docetur, pag, 242. Ita vt nec apud Comœdos quidem putem, quenquam tam industriè senes emunxisse argento, quã Caluiniani Pseudoli & Sosiæ vrbes opulentas, vt Frederico amanti esset, quo potiretur.

CONSIDERATIO XLIII.

ALIENATIS animis pag. 241. & sibi prospicientibus per opportuniora consilia, alia tandem consilia perfida ac crudelia capiunt. Occupandam astu, aut proditione Ratisbonam, eam loci opportunitate, opibusque momentum rebus esse allaturam. Sic Bauarum ab Austria superiore posse auerti. Quid hic iustitiæ? Vrbs illa a Catholicis, Lutheranisque communiter habitatur: Caluinianos horret. Huius opes, salutemque Caluinistis in prẹmium dare, quamuis graue est, multo tamen est intolerabilius religionem his artibus interire. Grauissimum vero vrbes Correspondentiales ad consortium venire, ad consanguinearum ciuitatum exitia pecunias præbere. At nihil de eo secreto cognitum fuit Noribergensibus. Credi hoc posset. Sed cum se Caluinistis committerent, **dass sie jhn die Köpff zu recht setzen**, vt capita eorum aptè cõcinnarent, omne genus flagitiorum exspectare debebant. Nec his finis, de alia magna vrbe capienda deliberatum, ex cuius præda 32. milliones sibi pollicerentur. De Francofurto intercipiendo sæpius agitatum.

Audi Noriberga, audi Vlma; an & Augusta? Et tu Francofurtum proditores tuos honorare desine. Cum deest nummus, vrbium opulentarum expilatione, more Iulij Cæsaris facile conflare possunt. Quod non omnes vrbes fœderis pœnas eas dederunt, quas Wormatia, belli breuitas effecit, alioqui Noriberga, Vlma, Argentoratum bello instaurando opportunum iudicarant, si modo potiri opibus eius potuissent, merito id passuras fuisse aiunt, quod Fredericum deseruerint. Certè tutiores non fuêre quam Westhouia, & Osthouia, quæ miseræ nimium vicinæ Wormatiæ, ostendunt quid de alijs cogitatum fuetit.

AD

AD CONSIDERATIONEM XLIII.

INDVCTIO.

Iudicent liberæ Imperij vrbes, tutone cum Caluinianis quamcunque pactionem stabilire possint, qui dum eodem cum ipsis fœdere iunguntur, de primariarum excidio, reliquarum impensis faciendo, tam sedulo actitant. Idem planè euenit Catholicis; qui dum anno superiore cum Vnistis apud Vlmam securitatem paciscuntur, eaque conuentione securos se credebant, traducto post ad Rhenum Correspondentium exercitu, audire debuerunt. **Vertragh hin/ Vertragh her/ Wan wir Mäyntz nicht einnehmen/ so kã vnser vorhaben nicht/** ~~re~~*scirn. Quidquid depactum sit, non potest nostram propositum nisi occupata Moguntia; perfici, neque fortassis in peragendo quam concludendo segniores fuissent, nisi Illustrissimus Elector sibi suisque vigilasset.*

CONSIDERATIO XLIV.

AT sint sane inter vrbes & principes, vt semper fuerunt ab antiquo, simultates; Principibus tamen inter se conuenit. Nam vrbium liberarum est aliqua alienatio ex diuerso Reipublicæ genere, & æmulatione, quia hinc opes, illinc dignitas. Verum dum omnia mecum considero, inter Principes maiores discordias animaduerto. Soli Trium viri adhuc concordes fuerunt. Nam primo diffidere cœpetunt Principibus Lutheranis, Wirtembergico, Durlacensi, consilia enim sua illis non communicarunt. Non ergo vt amicos, sed vt suspectos habuerunt. Eorum vero vri operâ quidem, sed deceptorum, & quid ageretur, nescientium, voluerunt. Hoc vero modo imperiosi domini, nequam mancipijs vtuntur. Sero rem Durlacensi, sed non omnem, nunquam Wirtembergico aperuerunt, cum vtramque Alsatiam Palatinus sibi paciscereturcum Anspacensis terminos proferre statuisset; quid Wirtembergico relinquebatur, nisi vt Italico exercitui hyberna præstaret? ideo enim celabant, vt subito oppressus effugere non posset. sic pag. 119. permittunt vt secretum Durlacensi de-

tegatur

tegatur eo fine, vt illi perſuadeatur occupatio Briſaci, quod hæreditario iure retineat. De his tamen nihil Wirtembergico dicendum, niſi tantum de alimento Mansfeldiani exercitus. Exigua ſanè portio, ſi tamen armis eam acquirere poſſit, datur Durlacenſi, cùm vtraque Alſatia ſit deſtinata Palatino, deinde exercitus Italicus per Durlacenſem ditionem ducendus, facile plus damni inferet, quam ſit lucrum expugnati, occupatique Briſaci. Wirtembergici cõditio iniquiſſima eſt, cui nec opinanti eſt excipiendus peregrinus exercitus, & de eius præmio nulla mentio habetur. Nec dubitare princeps ille debet, non modo contumelioſum eſſe à fœderatis illi nõ credi: ſed inſigne & luctuoſum illi malum Caluiniſtarum cõſilijs deſtinatum. Idq; odio religionis, quod iã priuato Heidelbergenſis, & Tubingenſis Academiæ duello, per annos triginta exaſperatur, vt vetera taceã. Itaq; de Tubinga Scultetus haud minus, quam de Vienna, vel Roma triumpharet. Summa eſt, ſi conſilium Triumuirorum honorificum aut vtile Wirtembergico fuiſſet magna verborum dignitate aperuiſſent, vt fortiorem, largioremque experirentur, nunc cum tantoperè celarint, pernicioſum fuiſſe ille ambigere non poteſt. Non erat Lutheranus ille dignus princeps, vt illi crederetur, quod Anhaltino, quod Hollachio, quod Mansfeldio, quod Camerario, Pleſſenio, Donæ? Hæc eſt ſocietas Lutheraniſmi, & Caluiniſmi fuco plena, veri inanis.

CONSIDERATIO XLV.

MISERA illa quidem, ſed nonnulla tamen ex aliena infelicitate, ſolatia capere Wirtembergico licitum eſt. Non meliore conditione Landgrauius Haſſiæ fuit. Ille enim plus omnibus laborauit, initia dedit, peregrinationes obiuit, omni in vlcere vnguis fuit, vt merito princeps quidã prudens, & liber dixerit, ante annos ſedecim, nullum in Imperio Haſſo eſſe principem magis pernicioſum. At ille excluſus cõſilijs ſecretis, contemptuique habitus eſt. Nec iniuria tamen; honos virtutis eſſe debet, non malitiæ præmium. Malorum inuentores ingenio ſuo plecti, vt iuſtum, ita vſitatum eſt. Poſt-

quam vnio in partes abijt, & Triumuitatus inualuit, Haſſus vmbra fuit.

CONSIDERATIO XLVI.

DE Culmbacenſi, Haſſo, Durlacenſi, conſtituta ſtipendia non ſoluentibus, vetus eſt querela Pleſſenij, at vero de Haſſo ingens eſt querela, & recens Camerarij anno 1619. 2. Iul. pag. 132. Cum Landgrauio nihil effici poſſe, meliorem illi mentem optat. Quid vero Landgrauium alienarit docent ipſa pacta, Manheimiæ inter ipſum, & Palatinum inita. Vbi Landgrauius ſolutionis diem prorogari, de auxilio ſibi caueri, priuatas res componi, in delectibus maiorem ſui rationem haberi poſtulat, obteſtatus etiam ne Francofurtum Palatinus proficiſceretur. Debitorum igitur exactor venit Palatinus, cum ſuam ipſe partem non ſoluiſſet. Auxilia ſibi neceſſaria Haſſus videbat, ſiue Archiducis miles, ſiue Batauorum adueniret, delectum, honores & commoda penes alios eſſe videbat. Nec ignorabat ſibi non credi, quocirca antequam pactis conuentis ſubſcripſiſſet, nocte intempeſta diſceſſit. Quam vero acre fuerit in illum odium Anhaltini ex eo deducitur, quod in Bohemia ille belligerans, monet ſuos cõfidentes, agant ne Haſſus militem ſcribere, delectus habere permittatur. Cur vero iſtud Anhaltine? Nonne opus erat maiore milite, vt tute ſæpe ſcripſeras? Non milite in Haſſia, ad exercitus Belgicos impediendos? Cur non permittis Haſſo? quia ſi ille potens & armatus eſſet, forte loco potiore apud Triumuiros quam Anhaltinus eſſet.

CONSIDERATIO XLVII.

HAssvs igitur Vnionis gratia excidit, quem etiam tranſeunte Spinola, eunte, & redeunte Naſſouio deſeruerunt, incluſus igitur vndique, primus Vnione ſe abdicauit, à cuius iam fructu principũ æmulatione abdicatus erat, damni tantum futurus particeps. Iuſto tamen Dei iudicio illi iſta acciderunt, non ob ea modo, quæ ſupra dixi, ſed ex recenti etiam con-

consilio. Suadebat enim nouus Achitophel non cunctãdum, non dissimulandum, Francofurtum occupandum, cum exercitu Ferdinando obuiam eundum, electionem impediẽdam: quod consiliũ maxime præceps, cruentissimumq; & maximè Lutheranis exitiosum, non probarunt vrbes, quę videbant eo modo non modo se sub iugum Caluinianorum, sed præsidijs etiam euiscerandas, contributionibus exossandas. Qui enim armato ouem negat, bouem dare cogitur. Armatæ preces negari sibi petita gaudent, vt in vltionem duplum capiant. Perfidiosissimum hoc Hassi cõsilium fuit, nulla enim res in imperio tot legibus, tot iuramentis, pęnisq; firmata est, quam Electorum ad comitia euntium securitas. Nam naturæ lex est, vt sit Magistratus in Republica legitimus, meliusq; est malum esse principem, quam esse nullum. Ius igitur Imperij, gentiũ, naturæ Hassus sanguinario, stultoque cõsilio violauit. Quod si successisset, iam totus senatus Francofurtensis Caluinianus, non vnus modo consul esset: & ædes ciuium Caluinistæ insiderent, Hassus vt olim Marpurgi, sic iam Romano de Palatio concionaretur. Et si quis Caluinista esse nollet, calumniæ is esset proximus. Esset vero Francofurtum per multos annos, quod Wormatia fuit octo menses.

CONSIDERATIO XLVIII.

CVM igitur mala conscientia semper timida sit, cum fidant nemini, hinc fit, vt ad minimum rumorem aduersum trepident, animoq; cadant. Nam anno 1619. 15. Iul. Cum adhuc omnia essent integra, cum nondum Saxo Lusatiam, Spinola Palatinatum, Bauarus cum Buquoy maximam nostri sæculi victoriam obtinuisset; Cum iam Hailbronnæ viderent, nec se ferendo bello esse, nec extra auxilia aduenire, dissoluere Vnionem cogitarunt. Tum vero Triumuirorum canes circumcursare, Hollandos inuocare, monere vt literas hortatorias mitterent, ne omnino nondum vlla clade belli illata, timore futurorum pacem inirent. Sed vana est sine auxilio hortatio, & sitienti incassum Iacchus canitur.

CONSIDERATIO XLIX.

QVA tamen facultas est, Bohemos adiutant, non spe victoriæ, sed ne illi desperatione veterem, legitimumque dominum agnoscant. pag. 184. Anspacensis admodum animo perplexus, spem vultu simulat. pag. 155. vltro etiam minas infert. Vt illis artibus vrbes in officio teneant, quibus antea deceperunt. Atq; omnia illa sparsa, tam magnifica, Ex Francia Equitatum, Ex Anglia ducenta millia, ex Turcia trecenta, in dies singulos spargebantur, vt miseris ciuibus illuderēt. Vt tandē Lutherani experientia discerent, quod nec Luthero dicenti, Caluinianos esse non mendaces, sed ipsum mendacium, nec suis ministris id meridiana luce clarius ostendentibus crediderunt. Vtque sint omnino inexcusabiles & Cæsari, & Deo, nisi serio resipiscant, & à consortio Caluinianorum abhorreant.

CONSIDERATIO L.

NIHIL æquè bello opus est atque opes. Sine neruis corporis, immota stat, inersque moles. Neruos se habere vrbes existimabant, dum ad fœnus, dum ad conuiuia superarant nummi, dū per millia numerabant, diuites; dum per milliones defecere. Belli sumptus computari non possunt. Dum numerantur increscunt. Monuit prudēter Mauritius externo sumptu nitendum non esse. Nam pender ab aliena facultate, quę facile impeditur, & aliena voluntate, quæ pecuniæ tenax, facilè reperit occasionem non dandi. Quo in genere hoc & fallacissimum est, & miserrimum, quod miseris & egentibus datur, quia perdere non immerito se putant, quod d nt pereuntibus. Atque hæc est fortunæ sæuities, vt cum nummos abstulit, etiam dandi voluntatem alijs aufert. Res enim perit, & fides. Vndique pecuniam quasi aureo Tago affluxuram iactabant, vt Lutheranum elicerent; postquam illa fundum nudauit. Tum illa vera prodierūt; De Britannia nihil sperandū, omninò ibi pecuniam non esse. Batauorum esse miseram ob domesticas discordias conditionem, pag. 300. Venetorum lega-

legatus negat ſuam Rempublicam pecuniam conferre poſſe, quod in ſingulos menſes quadringenta millia ducatorum inſumat. pag. 110. & 107. Tandem viderunt vrbes noſtræ, opes ſuas ciuicas eſſe, non regias. Et hoc ante bellum. Quid ſi agrum Vlmenſem exercitus vaſtaſſet? incendia redimere coëgiſſet? lytro ruſticos, ciueſque vexaſſet? omnes vias inſediſſet, negociationes ſuſtuliſſet. Quid ſi ad hæc & in Bohemia gerere bellum, & domi magna præſidia vrbes alere coactæ eſſent? Nunc ea vrbium ſtultitia inconſideratioque, vt bellum alijs inferre meditarentur, quaſi ipſarum domicilia, in aliquo atomorum intermundio ſepoſita ab omni periculo eſſent, & negociatores eorum per altos aëris tractus ire ad nundinas, & merces ſuas transferre poſſent. Prius ipſe tutus ſis, deinde alijs periculum crea. quid alijs malè facere, non quid pati vos potueritis conſideraſtis.

AD CONSIDERATIONEM L.

MONITIVNCVLA.

Conſiderator præſupponere videtur, vrbium Imperialium moderatores planè inexpertos fuiſſe, quid bellum eſſet, quid poſceret, adeoque imprudentia quadam lapſos. Sed ſi ignara plurima, non certè omnes Nouerant ſane Argentoratenſes, quantam ſuperiore ſeculo euacuationem ſumpſiſſet turris nummaria, dum Brandenburgico contra Lotharingum eorundē Epiſcopum ſuppetias ferunt. Experimentum ſumpſerunt reliqua, quando Anno 1599. Hiſpanos Reſa exacturis, ingenti pecuniarum iactura, paucos milites mactandos conduxerunt. Didiciſſent à minoribus ad maiora ratiocinari, niſi deſipuiſſent.

CONSIDERATIO LI.

ANGVSTA paupertate preſſis omnibus, & extremæ opis præciſa ſpe, Anhaltinus ſtipendia, Mansfeldius ſtipendia poſtulat pag. 333. Ipſe Gabor tam paratus, tam in verbis liberalis, merita ſua iactat, & 100000. pro recompenſatione, armata voce depoſcit. pag. 219. & tanta importunitate, vt ſubito

pecunia conficienda fuerit, ne mancipium venalis fidei, barbarica leuitate aduersum infidos amicos noua consilia caperet. Nec mirum, sed vrbibus nouum fuit. Qui animosè bellum suadent pacatis, illi non impudenter modo, sed etiam minaciter stipendia poscunt à pressis. Qui milites alit, repræsalia pendere semper debet.

CONSIDERATIO LII.

CONFICIENDÆ pecuniæ multas rationes inuenerunt, & sanè succedere poterat, si tam magna non requireretur: si de aliquo principe excipiendo, si de ludis instituendis, & iaculatorum certamine ageretur, æraria expensas non sentirent, non debet tentare Oceanum, quæ audet in exigua ludere nauis aqua. Achatius malæ causæ Achates, Hamburgi & Bremæ conficit vix triginta millia dalerorum, cui tamen triginta milliones non nimium essent, ad alendos in Germania, Austria, Vngaria, Lusatia exercitus. Regina mater in Dania, ad censum duo millia Vnioni mittere parata fuit. Non tamen alio contractu, quam si spondeat Noriberga vel Vlma vel Argentoratum. Vnionis nullâ fides, ne apud fœminam quidem! Noua & sanè compendiosa ad egestatem via, vrbes primum grandem conferunt summam, deinde anticipant solutionem, tertio dant mutuum non reddituris, denique nunc exigitur, vt fortunas reliquas, ciuesque suos oppignerent, vt ne cladem quidem posteri nesciant. Cur vero in Daniam vsque itur? An non maior Noribergæ, Vlmæ, Argentorati pecunia? Nonne tot priuati quærunt cui ad censum locent? verum apud hos iam fides consumpta est, peregrina mulier inescanda fuit.

CONSIDERATIO LIII.

HAs inter curas, angustiasque rei pecuniariæ, & fidei, duces clamant: Militum copias augendas esse, non posse tam paruis copijs, tot locis, tam magnis viris bellum sustineri. Augẽdos sumptus, præsidia recipienda, Bellum in Austria, Bohe-

Bohemia, Lusatia geri, in Sueuia, venientibus ex Italia occurrendum, in Palatinatu, in procinctu stante Spinola exspectari. Pericula videbant vrbes, seque in tam fragilem ratem, corpora, fortunasque posuisse dolebant. Sed nec euadere, nec serio negare quicquam nauarchis suis audebant.

CONSIDERATIO LIV.

QVAMVIS enim indignissimè ferrent, tanto in periculo copias suas, & opes in Bohemiam duci, Palatinum responso dilato, omnes frustrari, nõ tamen offendere eum monendo ausi sunt. Per Anspacensem & Wirtembergicum suas preces obtulerunt. Profecto in auctorem mala consilia redeunt. Ferdinandum abdicastis, Fredericum recepistis, Ferdinando contumelias dixistis, & Fredericum tot laudibus in altum, vt rueret, extulistis. At nunc vestras copias abducit, qui vestræ securitati conscripti erant milites, suos ipse Satellites facit. Vt eos remittat deprecantibus, Pragæ deliberaturum respondet. Interim vestri de senatu, proditores patriæ, tantum animi non habuerunt, vt apertè de illa iniuria queri auderent. Intercessores & interuentores quærendi sunt. Hæc est vestra animositas, hæc tutela libertatis, tot modis spoliati per fraudem, liberè dolere non audetis. Et quid illum facturum putatis fuisse, si victor tot regionum, superbiam suam in tuto locasset, quem mendicantem & spoliantem monere nisi per alios ausi non estis. Ita profecto est, Magistratui vestro obstitistis, huic trepidi dare cogimini. Ferdinandi heroicam virtutem, & iustum imperium repudiastis, degeneris tyranniſmi contumelias taciti ferre cogimini. Nec ignorare Noribergenses possunt, quantum laborarint vt censum Palatino creditæ pecuniæ recuperarent.

CONSIDERATIO LV.

QVANTVM porrò actum est, vt palam & publicè declararẽt hostes se esse Ferdinandi? sic enim ad maiores contributio-

butiones cogi possent, veniæ minore spe , verum id constanter negant pag. 229. Nullo quidem suo commodo vel excusatione, sed fatali proditorum suorum stultitia. Nam acta sua ipsi damnabant, dum bellum gererent, cuius titulum agnoscere ausi non sunt. Deinde ne hoc quidem cogitarunt, occultum hostium adiutorem, esse manifesto perduelle nocentiorem. Nec libertatis causa agebatur , nec religionis. Nam vestri Caluinissantes in hæc mala protraxerunt, vt illa societate Lutheranismum opprimerent. Et si rem fateri animus est, Plus paucis annis vnitis principibus dedistis , quam Cæsari toto sæculo. Pressa est libertas vestra à socijs, quibus de grauaminibus queri ausi non estis. Cæsari multa & imprudenter & mendaciter obiecistis.

CONSIDERATIO LVI.

ASTV egregio omnia sua consilia instruxerunt , omnia ita munita, tuta reddidisse se iactarunt; vt humana ope vinci non possent. Mihi quod in omni historia notaui: res astutissimæ imprudentiæ videtur , cuius est proprium in astutia sua capi. Consilia multa fuêre, sed inconsulta. Parua ope magna molimina aggressi sunt. Verum illi ipsi agnouerunt, parum in discursibus esse momenti ; bellum enim post consilia manus requirit. Hinc in eo erratum , quod decreta plus quam virorum, effecta vix mulierum. Ignaui canes in latratum omnes vires consumunt. Plessen, Camerarius, Dona, in legatione aliqua ad simulandum, mentiendũq; cauti, bello inutiles sunt. Verum exempla ob oculos ponamus , est enim insigne documentum diuinæ Sapientiæ, tam callida consilia infatuantis.

CONSIDERATIO LVII.

PRIMVM quidem caput imprudentiæ fuit, bello periculosissimo alienis, externisque fidere viribus. Spem in promissis alienis ponere, vel generalibus , vel studio, vel affectu fallacibus, cũ ipsi sibi violatorum promissorum conscij essent. Alterum caput est, eos qui auxilia præstituri videbantur , abalienare,

ſare, cauſas enim imprudenter aperuerunt, cur mittere nec poſſent, nec deberent. Suecus occultè per Imperium vagatus eſt, agnoſcendum ſe præbuit tamen quibuſdã correſpondẽtialium, auxilia promittit, reliqua amicitiæ incitamenta, verborum prolixitate peragit. Hic illi ſe gratos fore oſtendunt, addunt, & Danum ſuis in partibus fore, eius beneficij ſe memores fore. At Suecus ingenuè profitetur, noſſe ſe Dani potentiam augeri, pag. 304. Timere ne ille ſi Germaniæ parte accepta, vt fœdere Frederici cognati inito potentior efficiatur, fore vt Sueciam inuadat. Ignorabant tam prudentes, Suecum non rectius celeriuſque ad bellum permoueri potuiſſe, quam ſi illi ſubſidia contra Danum promiſiſſent? Non vult per auxilia Dani Fredericum creſcere Suecus, ne ille viciſſim per Fredericum Regem & Imperatorem euehatur. Malunt Suecus, Hamburgenſes, Lubecenſes, Stadenſes, & finitimi Fredericum mendicare, quam Danum vel vno pago auctiorem fieri. Vix nunc libertatem ſuam quotidianis certaminibus copioſæ vrbes tuentur, armatum cum, & magni Imperij auxilio violare ſubnixum volunt. Nec id Danus ignorat, nec probat Sueci cum Germanis amicitiam, quem nouit ſibi metu & æmulatione inimiciſſimum. Hic conſidero eorum incogitantiam, qui duas gentes inter ſe inimicas, magna ſpe in ſua caſtra allicere conati ſunt, perinde ac ſi quis draconem & elephantem ſimul in vnum prælium adducere contra hoſtẽm conſtituat; nam ſe mutuo conficient hoſte neglecto. Ignis & vnda vni arundini non includuntur. Hoc igitur modo non modo duos reges ac ſua auxilia non adduxerunt; ſed quod eſt multo deterius, eos ſemper mutuo ſuſpectos, & infeſtos, potius in ſe mutuo concitarunt, ſocias vrbes Anſeaticas Lutheranas in periculo conſtituerunt; Cum enim reges Sueciæ & Daniæ ſunt armati earum libertas ſub ictu tremit.

Neque quiſquam nunc magis timet, quam Hamburgum; valla reficit, militem ſcribit, ciues excubijs fatigat, quia Danus armatur, Lutherani mala belli ſentiunt, ad exteros tenuis allabitur aura.

CONSIDERATIO LVIII.

NEc minus insipiente sapientia Batauos ab auxilijs ferendis deterruerunt, imperitè petendo: significarunt enim Bohemos nisi magnis viribus iuuentur, ad pacem cum Cæsare ineundam coactum iri. Vnionem etiam suis viribus consistere non posse. Bataui, qui Bohemicum bellum tantum idcirco probarunt, aluerunt, concitatum vrserunt, vt vim Hispanicam alio diuerterent, miseros in periculo destituerunt. Erat fœdus Batauis cum Vnione, vt occasione data opprimerent Catholicos & Lutheranos. Hoc ad Bohemos extendi Correspõdentiales voluerunt, Bataui recusarunt. Nam iuuare Vnionem valde egentem; insuper & Bohemos obæratos, duplici milite afflictos, cum subsidium ab vtrisque exspectassent, maius esse viderunt, quam vt præstare possent. Itaque Bohemis aliter obligatos se non esse, quam vt pro viribus illis sint adiumento, quæ generalis promissio sic accepta est, vt iuuarent, quantum commodo suo facere possent. Quin vt pactis stare viderentur, Nassouium miserunt, non defensurum, sed in Palatinatu prædaturum, & spolijs equitatum recreaturum. Causa horum fuerunt illi, qui Batauis ita rem descripserunt, vt facilè intelligerent omne auxilium frustra fore.

CONSIDERATIO LIX.

VENETORVM auxilia ita postularunt, vt primum admirationi, deinde ludibrio fuerint. nam I. copias suas, & fœdera iactarunt, deinde à Venetis tres milliones petiuerunt. Negantibus legatis id suam rempublicam posse, obiecerunt; Venetos spacio sex dierum, septem posse milliones colligere. Quod admodum ridiculum visum est hominibus mercurialibus, qui vsum nummi pernouerunt. Nam partim collatione voluntaria, partim contributione, & mutuo, omnibusque rationibus adiuti, in extremo periculo tantum pecuniæ colligere posse, se non nesciebant. sed vt id quod extremi periculi remedium habent, in externorum auxilio vsurpent,

pent, cauſam habere negabant. Senior Barbarigus dicebat, renidens. Nolumus domum noſtram incendere, vt Auſtriaco fumus ſit moleſtus. Addebant; cum vnio parum habeat, Batavi exiguum, Anglum nihil, aliæ ciuitates nõ niſi fœnus elocent, cur noſtram nulla ſpe pecuniam lubeat abijcere?

CONSIDERATIO LX.

POSTQVAM vero pro tanta pecunia audierunt ſibi dari Stiriam, Carinthiam, Iſtriam, Forum Iulium, inferum & ſuperum mare, cum Lombardia, Vnionem miſerati ſunt, quæ daret aliena, & captu difficilia, inſanire Vnionem exiſtimarunt, à qua non magis iſta, quam Cyprum aut Ægyptum, aut Iaponiam dari poſſe videbant. Quid mirum? iſta nos occupare poſſe, inquiunt, Si claſſem ingentem contra Turcam comparemus, ne ille nobis aliena rapiẽtibus, noſtra inuadat, aliam vero contra Hiſpanos fortiorem inſtruamus, exercitus terra plures alamus, vnum in Mediolanenſi ditione; alium qui Pontifici, Florentino, Parmenſi, cæteris Italicis obſiſtat, Tertium in Iſtria, & Carinthia, Quartum Tirolenſi ditioni opponamus, Quintum in Dalmatia, ne iſthac Turcus irrumpat; denique omnibus noſtris oppidis præſidia duplicemus. Si iſta omnia parata viderem, cenſerem tãmen, inquit Barbarigus, potius Vnioni ſeptem milliones donandos, vt quieſcere mallent, quam Rempublicam noſtram in diſcrimen mittendam. Nam ſi vno in loco, alterove noſter exercitus cæderetur, iam donum Vnionis de manu efflueret, noſque prædæ cederemus potentiori. Omnibus vero locis victoriam ſibi ſpondere, præſertim cauſa iniqua, & hæreſeon omnium defenſatrice, inſaniſſimæ eſt dementiæ. Itaque cum de vnione maturè deſperarent, ne paucos quidem inuenerunt, qui pecunias ſuas mutui nomine perdituri in Germaniam mittere cuperent. Nec iungere vtrumque Oceanum pag. 106. ne hoſtes quæreret illi Reipublicæ viſum.

CON-

CONSIDERATIO LXI.

IN Francia aula maior error commissus est, nullo enim internuncio vsi sunt, nisi illis qui iam contra regiam maiestatem delicto nocentes, & venia impuniti sunt. Intellectum est à consilio magno eos occultas habere cum Hugonottis conspirationes, monitus princeps vicinus illis ne crederet. aliud tandem non est expressum, quam vt intelligerent Franciam amicam esse Hispaniæ, **Franckreich sey Spanischa.** ita enim è Pedemontana scriptum est. Nec immerito Hugonottæ semper hoc egerunt, vt plus regibus suis pollerent. 2. Vt Regum Francorum & Hispanorum bella feruerent, quo suas vires stabilirent. 3. Vt Rebelles in Hollandia, Germaniaque potentes essent, vt opera eorum in reges suos abuterentur. Nihil porro regum communi causæ pernicioſius visum est, quam cum se rebellasse dicerent, quod contra Rebelles arma Matthias Imperator sumpsisset.

CONSIDERATIO LXII.

MENDACEM aiunt oportere esse memorem. Id non modo quando cum eodem res tractatur, sed etiam quando cum diuersis de eisdem agunt, ita tamen vt omnes actiones in vnum conueniant. Hoc ex motiuis, quas diuersis proposuerunt, apparet, quæ partim ex his colliguntur, partim Magnifico D. Vladoski retulit Baro de Veruois Ea lucis causa proponam.

CONSIDERATIO LXIII.

Motiua generalia pro Britanno.

1. POTENTIAM charissimi eius Filij Frederici ab Heluetijs fœderatis, toto Rheno, vsque ad mare regnantis, esse munimentum Britanniæ, non modo Hispano formidabile, sed etiam Galliæ. Itaque tria regna Britanniæ hoc modo tutissima fore.

2. Facile

2. Facile hac ratione non modo Hiſpanum Belgio eijci poſſe; ſolum intercluſo militibus aditu. Deinde infeſtando Lutzenburgum, Lymburgum, Batauis inferiora vaſtantibus.

3. Societatis huius nunc fructum fore, vt ob ſumptus & auxilia partem Belgij genero, alio loco ſocero tribuant Hollandi victores. v. g. Genero Palatino ducatum Lymburgenſem, & Epiſcopatum Leodienſem. Socero portum vnum, alterumve in Flandria, cum vrbe aliqua ampla idonea equitatui.

4. Hoc conſtituto facile Franciam occupari poſſe. Nam ex Britannia, Belgio, Germania, Heluetia, Sabaudia oppugnatum iri. Proceres multos contempta regis iuuentute nouas ſpes eſſe quæſituros, Hugonottas acerrimam gentem, quæ iam annos ſexaginta bella geſſit, cum primum Britannus in Francia pedem poſuerit, defecturam, non opus eſſe ſumptu alio poſt delectum, nedum prælio. Duobus menſibus poſſe obtineri, ne ſolo titulo rex Galliæ ſit Britannus, ſed inter ſpecioſa lilia cubet, non è longinquo ad illa ſuſpiret. Hinc iter fore in Italiam apertum.

CONSIDERATIO LXIV.

Motiua pro Franco.

1. SI vel tribus equitum millibus, & duobus regimentis regio ſumptu pro Vnione alendis, ſuccurrat, poſſe regem domum Auſtriacam infirmare, Belgij partem ad ſe trahere, Archiepiſcopatum Treuirenſem ſibi vnire, & fortiſſimæ totius Europæ arci ad Confluentes poſitæ, Chriſtianiſſima lilia, Rheni, Moſellæque dominum imponere.

2. Poſſe clam eum exercitum ali, Bullionio totam rem committi ne Catholici indignentur.

3. Nec mirum iſta peti, tot annos Hollandis, incredibili ſumptu, paruo regis emolumento militem ali, hic mox primo anno omnia recipienda, ad imperium ſic etiam venire regem poſſe, id eius parentem tentaſſe.

4. Hac confœderatione facile deinde Francum poſſe Germano-

Germanorum viribus Mediolanum recipere, & ad mare Adriaticum vsque imperium proferre, Venetos obnoxios habere.

5. His de rebus principes Vnionis fidem, quam rex vellet daturos.

CONSIDERATIO LXV.

Motiua pro Venetis.

1. A Centum annis melius pecuniam collocari non potuisse: quam si Vnioni detur. Ferdinandum extra Bohemiam militem non habere, vbique hostibus obnoxium esse, quinque millibus amplius iam effici posse, quam olim viginti millibus.

2. Posse eos Stiriam, reliquasque ditiones obtinere, Liguriam etiam, & Genuam cum Corsica ac Sardinia; atque ita non modo Asiaticis, sed etiam Indicis negotiationibus ditari: Cæteros Italiæ populos, in eorum fide futuros, atque etiam Sabaudum. Rupellas, aliasque vrbes illis magis, quam regibus suis fauere, negotiationes mirum in modum augendas.

3. Ferdinandum amicum nunquam fore, vno impetu omnia perruptum iri.

CONSIDERATIO LXVI.

Motiua pro Sabaudo.

1. EVM inter Hispanum & Francum situm, vtrique esse obnoxium, si Imperator fiat, vtrique fore terribilem. Burgundiam sibi peruiam facere, & suis montibus Italiam continuare posse & Germaniam.

2. Omnia posse virtute tanti Ducis effici, initio opus esse, cætera Deo permittenda.

CON-

CONSIDERATIO LXVII.

Motiua pro Hollandis.

1. NON posse eos diu resistere, Franco alienato ab ordinibus & Hispanizato, Britanno dubio, & si rem spectes, hostilia meditanti, qui etiam generum deserat.

2. Vnionis Societatem firmam esse, idem regimen esse. Neque enim Bohemos vnquam regem, nisi titulo tenus, neque inter Vnionem alio iure Imperatores permissuram regnare. Fore igitur Venetos, Germanos, Belgas, tanquam qui omnes ab optimatibus regantur, æternum fœdus. Par omnibus Europæ regnis. Vrbium opulentarum æternas, immensas opes.

3. Posse cogi Britannum & Danum, vt se coniungant, Gallum generum Hispani, per Correspondentiam, ordines Belgicorum, cum reformatis in officio contineri posse, vt nihil nisi illis consentientibus statuere possit.

4. Hoc modo bellum è Belgio in Lusitaniam, aut Hispaniam posse transferri.

CONSIDERATIO LXVIII.

Motiua per Sueco.

1. POLONVM nondum recuperandi regni spem abiecisse, habere eum malos vicinos, Danum semper hostem, Polonum grauiter offensum, Moscouitam lubricæ fidei. Nihil illi vtilius, quam si fœdere cum Germanis iungatur, nunc egentes adiuuet. Posse in littore Balthico vrbes illi dari, posse eum quoque iuuari, vt Prussiam eam, quam Polonus habet, ipse possideat. Posse & Dantiscum venire in eius protectionem, quod ibi multæ sint reformatæ religionis. Ea vrbe posse eum regnum suum multo potentius efficere, ipsam Poloniam tentare.

2. Contra Danum Lutheranum auxilio quoque futuros, si quippiam ille moueat.

3. Posse

3. Posse sic verbum Dei propagari, & reformatos fratres, qui sub Saxone, alijsque duris Imperijs affliguntur, liberari.

4. Nihil Sueciæ coronæ vel ad decus, vel opes, vel potentiam esse vtilius, quam vtroque in littore regnare.

CONSIDERATIO LXIX.

Motiua pro Dano.

1. REGNVM eius ab vna parte, alteraue, Oceano, ac Suecia ita coarctari, vt ampliari non possit. Hoc fœdere posse eum non modo æmulas, & Lutheranas vrbes, facile in ditionem suam trahere, Si à Frederico Imperatore illi in feudum, aut Protectionem darentur, sed etiam Lubecensem, Hamburgensem, Bremensem Episcopatum obtinere, atque adeo crescere, vt Sueco par videri posset & auxilio fœderatorum obseruata occasione, si à Mosco, vel Polono ille infestaretur, etiam debitam partem facile adijcere regno suo.

CONSIDERATIO LXX.

Motiua pro Polonis Caluinianis.

1. NE paulatim Religio in eo regno extinguatur, regem impediendum, ne subsidia Cæsari mittat. Si Fredericus Bohemiam teneat, si Imperator coronetur, facilè vel mortuo rege, vel per confitentes, & reformatæ religionis, concitato tumultu, Regem Poloniæ fieri posse. quod Poloni libēter facient, pacem enim cum Turca æternam habebunt, atque ita facilè religio eo in regno stabiliri ac propagari poterit.

CONSIDERATIO LXXI.

Motiua pro Turca.

1. FERDINANDVS non est Imperator; nisi à tribus Sacerdotibus electus.

2. Duas

2. Duas tantum vrbes habet.

3. Iam vno mense totam Vngariam, pro qua ducentos annos pugnatum est, occupare potest Sultanus.

4. Fredericus eum eo deducet, vt Rheno in flumine equus eius potet.

5. Iam in Germania multis in templis orant, vt Magnus Ottomannus viuat & vincat. de clade Polonica magnum gaudium inter Frederici fautores fuit.

Hæc sunt generalia legationum & propositionum, quibus omnia concedunt singulis, sed nihil vniuersis. Ita omnia mouet ille, qui in agone est. Tribunis ille nihil largitionum cuiquam reliquisse ait, nisi vel cœlum, vel cœnum. Hi certe cœlum nulli addixerunt: in Cœnum Caluinianum cunctos pertrahere nituntur.

CONSIDERATIO LXXII.

Motiua pro Tartaro.

1. SI Tartarus Gabrielem adiuuet, gratiam magno Turco facturum.

2. Facilem victoriam fore; ex Gabrielis, Vngarorum, Turcorum, Frederici triginta millia producentis commilitio.

3. In Germania tantum auri esse opumque, quantum Tartari nunquam viderint.

4. Fertilissimas esse terras, & populosas, ideo insignium mancipiorum summam fore copiam.

5. Ne quis addubitet, Bethleni Epistolam ad Tartarorum Ducem 1. Aprilis hoc anno scriptam, & à Georgio Chetzi interceptam, & Viennam missam, adiunxi.

GABRIEL DEI GRATIA ELECTVS VNGARIÆ REX, TRANSYLVANIÆ PRINCEPS.

a *Bethlen Caluiniſta, eſt Frater Tartari Capitalis Chriſtianorum hoſtis.*

b *Acta & agẽda ſunt clades Chriſtianis illata & inferenda.*

c *Tartari hoſtes ſunt Chriſtiani, hos precatur Bethlen à Deo conteri.*

d *Gaudet de Tartarica Fraternitate.*

ILLVSTRISSIME Princeps, Beneuolẽtiſſime Chariſſimeque Frater. *a* Deus omnipotens Celſ.*is* V.*a b* actis & agendis benedicat, Vitæque dies adaugeat, & eiuſdem *c* hoſtes ancipiti ſuo gladio conterat.

Celſ.*is* V.*a* Legati 25. huius menſis ad nos deuenerunt, literaſque veſtras vnà cum donis honorificis (pro quibus gratias agimus) nobis rectè tradiderunt. Ex ijs, vti & ex Legatorum relatione V.*a* Celſ.*is* fraternum erga nos affectum oblatamque *d* amicitiam ſummo cum gaudio percepimus; Et quidem quod C. V.*a* noſtri non modò memoriam habuerit, ſed ſuos etiam miniſtros vna cum literis ad terras adeò diſſitas, in quibus iam cum exercitu hæremus deſtinarit, & copias ſuas vniuerſas, vt inceptum bellum eò felicius perficeremus, tam beneuolè nobis obtulerit ac præſentarit, eſt certè quod Deum Opt. Max. ſummopere collaudemus, fraternum autem veſtrum & propenſiſſimum affectum quacunq;

cunque oblata occasione compensare studeamus.

Celsitudo V. a literis suis nobis exposuit, qua ratione potentissimi Imperatoris Turcici iussu contra Poloniæ Regem, Imperatoris præfati ditiones inuadentem, copias suas eduxerit, & summi Dei auxilio eundem, præcipuis illis Ducibus cæsis, in fugam verterit. Huius sane præclaræ victoriæ fama non ita pridem post peractam pugnam ad nos, quando iuxta Danubium cum *a* hostibus nostris Germanicæ nationis præliabamur, peruenerat, multò tamẽ eam maiori *b* cum gaudio ex C.V. literis certiores facti, plenius cognouimus. Faxit Deus, vt omnes nostri & Inuictissimi Imperatoris nostri Turcę hostes posthac vbique terrarum similem exitum sortiantur, de pedibus V. Cel. puluerem delingant, & Eandem Deus vbique beet, & confortet.

Poloni, quamuis nunquam eos in minimo offenderimus, potius in illorum gratiam ante paucos annos coactis copijs nostris inter Eosdem & Imperatorem nostrum in Moldauia pacem promouerimus, nobis tamen *c* amici non sunt, & contra fidem datam in Imperatoris nostri Inuictissimi ditiones irruere moliti sunt. Dignam itaque mercedem, quam quæsiuerunt, consecuti sunt. Anno præterito, quando Viennæ non procul ab Imperatoris Germanici morabamur aula, similem irruptionem in nostrum hoc regnum fecerunt, graueque damnum eidem intulerunt; qua de causa non possumus non illi genti esse offensi. Certa relatione accepimus, quod ijdem Poloni contra nostrum *d* Inuictissimum Imperatorem etiam nunc arma fortiter parent, & Imperator Germanicus, modo pacem à nobis obtinere possit, ijsdem suppetias ferre velit:

Sed non est, cur Polonicam nationem timea-

a *Bethleni hostes sunt Germani.*

b *Lætatur de clade Christianorum.*

c *Turcorũ hostes sunt Christiani, & in primis Germani, hos optat Bethlẽ omnes trucidari vel Tartarorũ pedes lingere.*

d *Bethlen hostis Polonorum.*

e *Christianus Imperator est Bethlen hostis, sed Turca, est ipsius Dominus.*

mus, domi linguis quidem præliatur; at in campis simul atque hostem conspexerit, iusto Dei iudicio & rationem & robur amittit; Vltra quinquaginta millia militum, vti nobis narratur, in aciem producere non possunt. Equitatu quidem valent plurimum; eorum autem pedites nullius sunt roboris, nisi alij ab Imperatore Germano illis submittantur.

De nostrarum rerum statu id verè *a* scribere possumus, integris 22. mensibus cum multis & ingentibus ijsque fortissimis hostibus nos rem habuisse, & adhuc habere.

Siquidem non tantum contra Romanum Imperatorem, sed contra Regem etiam Hispaniarum, & Pontificem Romanum nobis decertandum fuit. Verum contra Vniuersos, laus superis, victoriam hactenus obtinuimus, adeo vt per hosce 22. menses vltra 30000. hostium ceciderimus, & interfecerimus. Rex Bohemiæ passus est propè Pragam iacturam aliquam, vnde violentius hostis in nos insurgit. Cum eo iam per 18. hebdomadas in aperto campo dies noctesque sæpius conflixímus, modo de pace inter nos agitur: Sed, vti hactenus verba *b* tantum bona damus, non alio fine, nisi vt tempus lucremur, quo interim promissæ nobis ab Imperatore *c* nostro potentissimo copiæ auxiliares ad nos commodius deuenire, & earum viribus minori negotio beatas illas ac fertiles hostium *d* regiones ac terras occupare queamus. Id vt eo facilius & Deo auxiliante felicius fieri possit Celſ. V. quibus possumus precibus rogitamus, 10000. optimorum suorum militum, cum selecto aliquo Duce auxilio nobis mittere dignetur. Quod si V. *e* Celſ. *ni* placeret in propria *e* persona sese ad nos conferre, foret id nobis gratissimum, & sine dubio cederet non modo ad nostri Imperatoris *f* potentissimi,

a Veritate Caluinistica.

b Bethlen fraudulenter inducias quærit.

c Turcorũ viribus est potens.

d Id est Germanorum.

e Inuitat Barbaros ad Christianorum terras inuadendas & diripiendas.

f Turcorum quærit gloriam sed Christianorum exitium.

tissimi, sed ad V. *a* etiam Cels. *nis* multo maiorem vtilitatem & gloriam, quam quæ nuper ex Polonica victoria relata est.

Nostras enim cum Cels. *nis* V. *a* copijs coniungeremus, & coniunctis ita viribus opulenta illa regna, qualia Tartarica natio nunquam vidit, peragraremus, nostrosque milites immensis diuitijs, pecunijs, & *a* mancipijs ditaremus. Et hoc eo facilius, quandoquidem Rex Bohemiæ iam 30000. ad hostem distinendum parata habet, vt nemo sit, qui resistere ausit, sed omnes protinus diffugient, suasque terras & regna innumerabilibus opibus referta nobis diripienda deserent.

Hac de re Legatus noster iuxta informationem sibi à nobis præscriptam cum V. *a* Cels. pluribus coram agat. Quam obnixè oramus, vt eidem non modo fidem adhibere, sed postulatis etiam nostris absque vlla recusatione annuere, exiguaque munuscula, (cum in tanta temporis & loci iniquitate, vti in castris inter medios hostes positi, meliora parare non potuerimus) benignè suscipere dignetur. Certam concipimus spem, nos cum Cels. V *a*. posthac *b* maiorem familiaritatem inituros, & Eidem certiora amicitiæ officia exhibituros. Interea inter veros suos & fidissimos *c* amicos nos V. C. referat, quam Deus O. M. in omni felicitate conseruet. Dat. in Ciuitate Nostra regia Turnouiensi. 1. Aprilis. 1621.

Cels. Vestræ.

bene propensus Frater.

Gabriel, &c.

a *In votis eo facilius habet non tantum deuastare & spoliare, sed ex Germanis mancinis mancipia facere.*

b *Vti Turcorum mãcipium, sic sperat se Tartarorũ intimiorem fore Fratrẽ.*

c *Sed Christianorum hostes.*

AD CONSIDERATIONEM LXXII.

ADDITAMENTA.

HIC omnia, quæ considerator in superioribus perpendit, ego quoque considero. 1. *Tartaros esse gentem omnino barbaram, nulla humanitate cultam.* 2. *Esse Nomadas, Hamaxobios, Vagabundos, ideoque fœdissimos sordidissimosq́ non nosse lautitias.* 3. *In his sordibus tamen, omni modo esse libidinosissimos. Cumq́ parum apud eos ratio, nihil pudor valeat, pecorum ritu in Venerem ferri.* 4. *Esse exleges, itaq́ satis habent scortari, adulterari, furari: Nullo honesti, nullo æqui respectu, rapere Virgines, Coniugatasque; ludus apud illos est.* 5. *Esse dominos superbissimos, & quod inde sequitur, iracundissimos. Quocirca durissimam seruitutem imponunt captiuis, morte duriorem.* 6. *Præter hæc etiam crudeles sunt, tam ipsi, quam vxores, & filij, animique causa mancipia innoxia excruciant.* 7. *Ingentes habent multitudines, quæ, si in Germaniam exundent, decuplo diriora patiemur, quam olim intulerint Heruli, Gothi, Alani, Longobardi, Nortmanni, aut vlla Barbaries.* 8. *Auaritiæ tanta est, vt cum vsum opum nesciant, opes tamen magis, quam olim Gryphes sitiant, vestigentque.*

Nunc igitur vos ad summi Iudicis tribunal cito, O Senatus Norice, Vlmice, Argentoratensis &c. Tot auri vasa ciuibus vestris extorta impendistis Caluinismo, vt ille vobis imponeret Tartarismum! Genti barbarissimæ, vagatrici, spurcissimæ, fœderum ignaræ, superbissimæ, iracundissimæ, populosissimæ, auarissimæ, Vos, liberos, vxores, cognatos, patriam prodere voluistis? Cur cum Gabriele Turcarum mancipio, barbarorum fratre, Germanorum hoste fœdus inistis? Cur tanta pecunia tantam calamitatem emistis? Quid Deo respõdebitis? Cõfessionis Augustanæ amore hæc facta esse? *Ita vero iam cõtempto Saxone, Caluinistas, Turcas, Tartaros, diabolos Confessionis Augustanæ propugnatores, protectoresque asciscitis. At Bethlen vestrum proditorem audite. Non ille de religione agit, quæ in Barbaris præter monstrosas, immanesque & sanguinarias superstitiones nulla est, sed opes vestras maximas ad luxum, corpora ad seruitia, vxores, filiasque ad libidines, terram ad fruen-*

dum

dum offert. An barbaros illos belluino impetu ruentes inter Lutheranos, Catholicos, Caluinistas discrimen facturos speretis? Nisi omnem cum religione etiam humanitatem prudentiamque exuistis, tantis malis tandem occasionem dare desinite, Cæsarem omnibus viribus atque opibus adiuuate. Quod insigni exemplo iam nonnulli Ducum Vestrorum fecerunt, qui ne Turca Tartarusue Germaniam inuadat, Legiones ipsi pro regibus contra rebelles ducere decreuerunt.

CONSIDERATIO LXXIII.

TANTIS artibus animi principum tractati sunt, sed frustra, pauci enim adiuuerunt. Potius quod omnes suspiciones adauctæ sunt. Tantæ enim molitiones in irritum cecidérunt. Manus Domini fecit hoc, qui enim in Magistratum à Deo datum ab omni orbe auxilia poscebant, à suis primum sunt repulsi, anno 1618. negatam scribit pecuniam ab Argentoratensibus, non quidem formaliter, sed in effectu: responderunt enim se Noribergenses consulturos. Nec praxes, quæ sunt pag. 316. succesſêre. Vide Epistolam.

CONSIDERATIO LXXIV.

IN aere ædificant, & pascunt ventos. Speculationes sunt, quæ facilius irridentur quam perficiuntur. Quantum cum principe de quo supra dictum est actitatum, vt Imperator esse vellet? cum vero ille proposuisset; quid si duo Imperatores eligerentur, quis nos tueretur? Hic obstupuêre animis, mirati hoc illi principi in mentem venisse. Et sanè extrema pericula, extrema remedia requirunt. Si omnia tumultu voluerentur, cædi & victor posset: qui sacram anchoram leuauit, ipsa pugna fluctuum leuatur & liberatur. Quid enim, si & Catholici & Lutherani potentem Imperatorem dicerent? Quid si Ferdinandum, potentissimumue aliquem regem Cæsarem dicerent? Sanè in vitæ periculis non deest in ipsa

arena consilium : si non optimum, aduersario certè periculosum. Omnes enim desperatio fortes facit. Facile hosti vitam eripit, cui iam dempta est cura suæ.

De Imprudentia consiliorum multa supersunt, sed omitto hæc, generalia sunt, mirandumque eo tandem stultitiæ venisse exaggeratissimarum fraudum astutiam, vt pag. 317. legati Britannici censeant, Fredericum occupatas prouincias deserere oportere, sed posse eum à Cęsare creari Regem Rheni. Regem Rheni? At duas, tresue ad Rhenum Vrbeculas habet, quid cæteris ad Rhenum magnatibus fiet? habebunt Regem Rheni? I a vero, Regem Rheni?

Caput indomitum, Rhene superbi,
Rector aquai Regificai.
Fredericorege superbi.

Sed cur non regem Neccari? ain vero? Neccari?

O Rhene indignis non-indignabere factis?
Regem Rhene tuis imponat Neccarus vndis!

Sed cur Fredericus rex vel Rheni, vel Neccari?
Quia vetus verbum est: aut regem aut asinũ esse oportere.
An vt alius dixit: Tam stultus est, vt regnare possit?
Erat, cum diues erat, tum dicere poterat.

Nostræ

Sultitiam patiuntur opes.

Verum nunc opibus effusis, prudentia opus est.

Sed tamen Rex Rheni Fredericus. Quo merito? an quia rebellauit? an quia victus fugit? an quia Rex esse vult? Rex esto, Rex vbicunque, quorumcunque, vel fornacalium. Apage puerilem arrogantiam, sed constantem sanguine multo. Tu Deus respice. Ecce stultissima hominum vanitas, tot animas innocentes perdit. Puerilis ambitio orbem miscet. Ecce Venetus, Sabaudus, Hollandus, Britannus, Francus, Suecus, Danus, Polonus, ad arma cientur, & post cruentas pugnas hoc agitur, non vt Fredericus sit, sed vocetur Rex Rheni. Ecce tanta stultitia sub legati magni regis magnæ Britanniæ thorace delituit, nec ruptum est tamen pectus anhelum.

Nec Tobaccæa cerebrum vertigine vorsum.

AD CONSIDERATIONEM LXXIV. COMMENTARIVS.

Mihi legenti considerationẽ hanc occurrit. Multo facilius posse Fredericum fieri Regem Tamesis fluminis, quam Rheni. Multa id suadent. I. Legatus Britannus id suo Regi potius, quam Cæsari persuadere potest. II. Rex Angliæ potius genero tribuere debet, quã Cæsar perduelli. III. Lõdinum facilius duos Reges capit, quã Germersheim, vel Manheim, vol Franckenthal, vel Oppenheim, Bacharacum aut Cauba vnum. IV. Facilius in Tamesi crescet. Nam hæredem Angliæ debilem supplantabit: Cæsari filij, fratres, agnati sunt. V. Britanni magis eum absentem amant, quam Regem; maluerunt enim illi petenti nummos mittere, quam suadente regere tinere. Illi sponte dederunt, rex vix extorqueret. VI. Imo Puritani exrege Tamesis facient regem Angliæ. VI. peterunt & regẽ Franciæ. Nam in Francia Hugonottos habet amicissimos, idem facientes quod ipse fecit. Gnarus est seditionum concitandarum.

CONSIDERATIO LXXV.

VERVM ab huius regis, regiæque consideratione animum necessario abduco, quia sine carmine scribi hac de materia non potest: Et cura carmen me pangere vetat. Tãdem pag. 102. animaduertunt exercitum suum nimis esse paruum. Insignem prudentiam militarem, tum vigilanter animaduertere, exercitum suum esse nimis paruum, cum viderent hostilem esse maiorem. Non hoc illos fefellit. Quid illis facias, quid fidas, qui cum in extrema pericula duxêre suos, aiunt nimirum se infirmos esse?

CONSIDERATIO LXXVI.

DE reproba Sapientia filiorum Caluini, finem faciam, cum vnũ adhuc exemplũ dedero, de quo iucundissima

fuit inter aulicos Sereniſſimi Electoris Saxoniæ ſermocinatio, cùm eis adeſſem pag. 92. deliberant an contra Ferdinandum ſit agenda cauſa Cleſeliana. Apud principem verò Catholicum, vt habet inſtructio Anhaltini, inter cauſas cur Ferdinandus eligi non poſſet, illa præcipua eſt, quod Pontificem capto Cleſelio, cardinaleſque offenderit, ſitque in profundiſſima fouea ſpiritalis Excommunicationis. Excommunicationem Pontificis quidam valde timent, alij negant obeſſe, niſi ſit iuſta cauſa. Alij etiam cum eſt iuſta cauſa, non admodum mouentur. Lutherani eam optant. Caluiniani omnibus Catholicis ſunt pontificiores, qui ideo reſpuunt Ferdinandum, quia ſit Excommunicatus. Væ Lutheranis, væ ætati Lutheranæ, cum pulſos voluerint; dicent eſſe in profundiſſima fouea ſpiritalis Excommunicationis. Quid hic primum, quid deinde conſiderem? 1. Ferdinandus non cepit Cleſelium, ſed Maximilianus: nec Cleſelius Ferdinandum pro inimico habuit, ſed Maximilianum. 2. Cauſa Cleſelianæ captiuitatis delata eſt ad Pontificem, iuſſu illius, hodieque in cuſtodia permanet. 3. In eam rem Cardinales conſenſerunt. 4. Nunquam Ferdinando Pontifex ideo inimicus fuit, nec Cardinales. 5. Nuncij Apoſtolici eius honorem & electionem quantum in ipſis fuit ſtudioſiſſimè adiuuerunt. 6. Principis illius Catholici animus ob hanc cauſam ab illis eſt alienatus; quemadmodum enim Moguntinus, audito Anhaltinum ſuſcepiſſe in Bohemia Generalatum dixit: Eum ſimul vna vice omnem ſapientiam amiſiſſe; ita ille quoque iudicauit. 7. Miratus eſt impudentiam, ſciebat enim per ſuum oratorẽ, nuntios & Cardinales, Pontifici charum eſſe Ferdinandum. 8. Indignatus eſt ſe adeo haberi ſtupidum ab Anhaltino, quaſi neſciret eos Excommunicationis contemptores eſſe. 9. Hoc illis forte telum fortiſſimum contra ſe, ipſe non ignorauit. Si enim Ferdinandus excommunicatus eſſe non poterat Imperator, quia patruus eius Maximilianus Cleſelium cepit. Nec ergo princeps ille, qui venturus erat, vt vtramque Alſatiam, cum Epiſcopis, Canonicis, Abbatibus, Monachis, Ieſuitis daret captiuos Frederico, non vt Pontifex cauſam cognoſceret, ſed vt de illis quæſtionem in theatro crudelitatis Caluinianæ

Carni-

Carnifex haberet, Adderet Vngariam, ipſe caperet Bohemiã. Verum hæc vt ille conſiderauit, abominatus hominum impudentium audaciam ; quid cuiquam in poſterum tutum erit? Caluiniani qui omnes Epiſcopatus, adeo ipſius Pontificatum ſpe deuorarant, Ferdinandum de excommunicatione accuſant: Illum innocentiſſimum nocentiſſimi. Quid non audeant illi, qui iſta non erubeſcunt. O te felicem, ô æterna memoria dignum Imperatorem, in quo calumnioſiſſimi, infeſtiſſimi hoſtes, aliud crimen non inuenerunt, non auaritiam, non iniuſta iudicia, non probroſas libidines, ne ſuſpicionem quidem licentiæ, ſed tuam religionem, & factum, quod tuum non eſt: & ſi tuum fuiſſet, ſanè laudari debuiſſet, quod Pontifex, Catholici, Lutherani non approbarunt modo, ſed vehementer etiam collaudarunt. Cleſelius omnibus Catholicis & Lutheranis odio, Caluinianis amicus. Miſero maledicere non eſt meum, qui cauere doceo proditores, interim nemo peiorem Cleſelij cauſam facit, quam Caluiniſtæ proditores, qui de eius defenſione labotant, non vt ei benè ſit, ſed vt Ferdinandum reddant exoſum. Aliter de Clementia Ferdinandi iudicauit ipſe Cleſelius, qui captiuus Ferdinãdi, non Maximiliani eſſe voluit, duciq́ue in Stiriam, non in Tyrolenſem comitatum. Quid ſi cum hoc facto, non modo crudelitates Caluiniſticas in Bohemia, Vngariaq́ue qua Lutheranos, Catholicoſq; peſſundederunt, ſed etiam rabioſos Lepontiorũ Oſtraciſmos, & innocentium magnatum exilia, morteſque comparemus, facile cunctis apparebit, Caluinianos factis atrociſſimos, calumnijs exercitatiſſimos eſſe.

CONSIDERATIO LXXVII.

NIHIL porro Caluiniana familiaritate periculoſius eſſe, tum alia multa, tum vero inſigne artificium, quo in aliorum ſecreta ſe inſinuant, oſtendit. Quemadmodum enim cũ laruis luctari difficile eſt, vident, audiuntq́ue corpoream naturam: viciſſim ab alijs non videntur, non audiuntur: ita ſpiritus Caluiniſticus ad humanam ſocietatem omnino inutilis eſt, noxiuſque: omnia enim aliorum recondita; opes, inopiã, con-

concordiam, discordiam, cognoscit; sensus, animosque penetrat, quid ipse velit, quo tendat, nemo nouit. Si quis magus, qui nunc lupum, nunc catellum, aliquando felem, aut musculum indueret, seque inaspectabilem omnibus tuis rebus ingereret, amicitiam prensaret, horrorem sane incuteret, nec familiaritate, sed potius supplicio dignus iudicaretur: At Caluinistæ secretorum sunt in aliena republica versutissimi scrutatores, omni in curia, omni in aula suos confidentes habent; nec eos vulgaris notæ, sed tales qui cum perfidia apud suos habent dignitatem & fidem. Papam aiunt parum curare Germaniam. pag. 307. Non futurum auxilio, pag. 68. Non ita inuitum in Bohemia videre Fredericum, quam Hispanum in Italia. In senatu Veneto norunt duos tantum à suis partibus stetisse, eos vero alios in sententiam traxisse, noruntque numerum & nomina eorum, qui pro se, qui contra senserint. Extra Viennam etiam vesperi omnia norunt, quæ mane in concilio acta. Nihil penitus ignorant, cum etiam audierint quid Zuniga Hispano regi in aurem dixerit. Nempè Hispaniam à Bohemia dependere. In Anglia proceres quosdam fauere, regem alienum à negocio esse, eum tardum, timidum, inuidum esse. Itaque sua summo artificio celant, nostra omnia ad vnguem norunt, copias, pecuniam, duces, centuriones, consiliarios, vigiliarum magistros, cuiusque principis & consiliarij inclinationes, amicos, timorem, audaciam. Quid cuiq; obstet. Quis Buquoium accusare apud Cæsarem, quis Spinolam apud Hispanum possit. An dubitare possumus eos scire, quid in Germanorum consilijs tractetur? Cum his inquam non potest pax aut fœdus iniri. Nam data occasione sine suo periculo euertere amicos possunt. Non est enim pernicioſior hostis, quam fictus amicus.

CONSIDERATIO LXXVIII.

ATQVE hæc est efficacissima operatio iniquitatis, qua intra breue spacium à Luthero tam multos ad Caluinum desciuisse, insolenter, nefarieq; Scultetus gloriatur. Saxo Lutheranus erat, at vero medicus, & confessarij eius Caluiniani

uiniani occulti; illi specioso prætextu Caluinismum inducebant, ministros & ludimagistros commutabant. Nec postea sibi defuêre alij, qui violentius rem aggressi sint. Illo tempore nihil rerum alicuius momenti potuit geri, quod non melius Caluiniani, quam ipsi Electores cognoscerent. Itaque intra annos 70. tot in Academijs, Synodis, in repub. in templis Caluiniani sunt deprehensi, vt penè doctorum hominũ dimidia pars violenter ad Caluinismum defecerit. Est enim facilis in deteriora lapsus. Iamq; gloriantur se victores, vno anno Saxoniam reformaturos, non modo Weimariensem constituendo Electorem, sed quod omnes anguli pleni sint occultis reformatis. Hoc aiunt cum paucis adhærere Luthero. Ideo omnibus illum hoc biennio maledictis proscindũt, integris libris oppugnant, adeo vt ne quidem tibialia & perisscelides intactæ sint. Tantum odium est, vt exitio dare ardeant, sed quia voluntati deest facultas, cum morsum figere non possunt, sibilo sunt molesti. Centuplo plura hoc biennio vir nobilis & Clarissimus patitur, quam omnes in vnum Iesuitæ & Monachi. Illum accusant tanquam sericatum & aulicum, cum ipsi sint proditores Germaniæ. Omnia sibi ignoscunt, alijs nihil. Ex quo constat existentibus in Germania Caluinistis, non posse vllum principem securum, nec quippiam adeo secretum dicere, de quo illi non inter se mox deliberent.

CONSIDERATIO LXXIX.

HISCE ex arcanorum reuelationibus quædam non vtilia modo, sed necessaria deducere est mihi propositum. Considero enim statum Imperii futurum. Quem domi pacificum, foris victorijs inclytum videre desidero.

Primum igitur ex hisce concludo. In Imperio non esse tolerandam aliam religionem, nisi Catholicam & Augustanam confessionem. Illæ enim solæ communi decreto, & pace religionis permissæ sunt. Inter omnes vero maximè proscribendum Caluinismum, duæ me rationes mouent. Necessarium est hoc paci & securitati Catholicorum & Lutheranorum.

Deinde

Deinde facile est. Necessarium esse probant dicta. Nam Caluiniani eorum securitatem semper oppugnant. 1. Insinuando se aulis, & religionem dissimulando, vt fecit Peucerus, alijque, & iam nuper in Brandenburgico: vbi enim summa securitas videbatur, subito Caluinismus totum Electoratum sub pedibus habuit. Quod factum est, alijs expectandum est. Successu audacia, vsu astutia crescit. Si Weimarienses aliquo potenti matrimonio fulciantur, si aliquo casu, vt sunt res humanæ, ad tutelam Saxoniæ veniant, actum est de Augustana Confessione. Hoc de cunctis intelligi volo, quod de vno exprimo.

2. Seditionem mouendo magistratus excutere conantur. Præsertim Puritani, quales nostri sunt; Hoc satis ostēsum est. Et suppliciter omnes magnates oro, vt hac de re credant Magnæ Britanniæ regi, si non velint oculis suis fidem habere. Ratio est. Quia vt in Ecclesia colunt Democratiam, & vices imperantium & parentium, ita in Republica oderunt Monarchiam, Aristocratiam que ministri eorum.

3. In patriam concitant omnes exteros, Italos, Gallos, Britannos, Scotos, Suecos, Danos, Turcos. Hoc quoque ex dictis ita manifestum est, vt hominum numero non sit, qui negare ausit. Hinc concludo syllogismo qui ex primis Politiæ principijs constat, euidentissimeque rem conficit.

Qui artificiosa simulatione fidem Catholicam, & Augustanam confessionem corrumpunt, populos ad seditionem concitant, exteras, barbaras, inimicas nationes, pacti prædarum partem, in Germaniam alliciunt, Imperatorem, & collegas principes produnt, obstant securitati Catholicorum, & Lutheranorum, tales igitur tolerandi non sunt. Nec modo hoc faciendum, sed etiam necessario faciendum, & huius regni neglectu, Imperatorem & Principes æternæ damnationis reos fieri censeo.

Respondebit fortè aliquis. Maneant, sed infirmis alas incidemus. Hoc est periculum differre, non tollere, fortè etiam maturare. Pauci Caluinistæ Saxoniam, Brandenburgicam, & antea alias prouincias turbarunt. Iam tres principes, quorum alter pauper, alter puer, mundum sursum deorsum vertere

conati

conati sunt. Non sunt pauci censendi, cum tres ad incendium conspirant. Malitiæ hoc in negocio, non multitudinis vis pensanda est.

CONSIDERATIO LXXX.

FACILE etiam esse constat sola negatione sessionis, & suffragij secundum leges, quibus nominatim aliæ religiones excluſæ sunt. Sola Catholica & Augustana permissa. Hæc verò pericula ex Caluinismo dissimulato orta sunt. Lege igitur admitti non debent, & nunc cum patriam vendiderunt, prodiderunt, ne petere quidem audebunt, vt contra leges ac ius Imperij admittantur.

Nec bella ciebunt. Nam qui ex illis posse aliquid videntur, sunt Palatinus, Brandenburgicus, Anspacensis: quorum omnium vires accisæ sunt, & sine vrbium opibus nullæ. Palatini loco, Princeps elector non Caluinianus instituēdus est. Cum Palatinus ferè nunc sit in potestate, & nisi inducijs ad commodum hostium pactis cessaretur, iam totus esset. Sed hæc est vincentium ignauia & discordia, victoria non vti: Brandenburgicus facili negocio ad Lutheranam redibit, Caluinianos consiliarios, patriæ proditores, qui suffragium eius Palatino prostituerunt, aula exiget. Anspacensis solus orbem non mouebit, & ille tamen redigendus est in ordinem.

Præter hos sunt pauci comites: nam vrbes ferè Lutheranæ sunt.

AD CONSIDERATIONEM LXXX.

APOSTILLVLA.

Modum exigendi ex Imperio Caluinismi, considerarunt Cæsar & Principes in Comitiis Anno 1566. *eumque Decreto publico ad Palatinum Fredericum Electorem hoc modo præscripserunt. I. vt Elector errorem Caluini, eiusque sequacium deserat. II. vt eum in templis ac scholis suis doceri & proponi amplius non patiatur. III. vt ministros Prædicantes, & Ludimoderatores eam Hæresin docētes amoueat. IV. vt Catechismos, tractatus & libros errorem illum con-*

continentes perdat .V. vt nullos in posterum imprimi siue excudi permittat. Huiusmodi decretum Philippo Palatino in præsentia quatuor Electorum, Danielis Moguntin. Ioannis Treuirens. Friderici Colonien. Augusti Saxoniæ Ducis. & Legatorum Ioachimi Brandenburgici, intimatum est. Dilata porro in mortem executione, præclarè consultum reip. arbitrabantur Imperij proceres, quod filius Ludouicus mandatis obtemperaret, ministros Caluinianos abigeret, & Lutheranos sufficeret. Quia tamen malum funditus eradicatum non fuit, non solum in vicinia, quo exacti illi ministri Palatini irrepserunt, radices egit. sed eo etiam defuncto in ipsum Palatinatum reuectum est opera Casimiri, de quo quidam.

Qui nomen Casimire tibi de casibus istis
Indiderat miris, mirus homo ille fuit.

Nunc dum Palatinatus in manibus Imperatoris est, nihil requiritur, quam vt Prædicantes, Ludimagistri exigantur: libri exurantur, qui hæresim illam deserere nolunt, iuxta Imperij costitutiones, Recessum Anni 1555. §. **Doch sollen.** *& Anni* 1566. §. **Auff daß aber** *puniantur.*

Sed sunt fortasse nonnulli, qui Caluinismum Hæresin audire nolunt: sed eundem sub tegmine Augustanæ Confessionis velare nituntur. Ii audiant Cõclusum Statuum Augustanæ Confessionis particulare, trium Electorum Palatini, Saxonis & Brandenburgici, reliquorumque Principum, Comitum & Ciuitatum Imperialium Anno 1557. 16. *Mart. Ratisbonæ publicatum, in quo sub decisione secundi propositionis puncti sequens sententia Germanicè expressa legitur.* Postquam Deo ita permittente præter no-
„ stram Christianam Religionem & Confessionem nonnul-
„ læ Hæreses & sectæ, Sacramentariorum, Anabaptistarum,
„ Schvvengfeldianorum, Osiandrinorum irrepserunt, quæ
„ omnes à pace Religionis alienæ & exclusæ sunt, volumus
„ vt contra illas in communi mandata edantur, vt huius-
„ modi zizania, Satanæque excrementa eradicentur.

Huic Recessui eiusue Decreto inhærentes Confessionis Augustanæ professores in Replica Imperatori 19. *Maij Anno* 1566. *exhibita palam pronunciant.*

„ Permittere se nolle vt vlla secta cuiuscunque nominis in
„ Ecclesijs illorum, ipsorum voluntate locum inueniat.

Quod-

„ Quodque eodem modo & non minus de Zvvingliana &
„ Caluiniana opinione omnino sentiant.

Proscripta est itaque ante annos 65. ex Romano Imperio Catholicorum & Augustanæ Confessionis sectatorum sententia Caluiniana Hæresis; vt quid itaque non reipsa exigitur maximè cum magno nostro malo experiamur, ea vigente pacem esse non posse?

CONSIDERATIO LXXXI.

DEINDE communi lege statuendum, ne quispiam Caluinismum, vel in toto, vel Imperij parte doceat. Mutandi in Academijs illius doctores: nec hoc difficilius fuerit, quam in Hollandia decretorum contra Arminianos executio. Principes patroni Caluinistarum & fautores primum mouendi, deinde priuilegijs priuandi sunt. Domi igitur tueri se non valebunt. Gallus non vult, Britannus non potest succurrere. Turca Polonico & Persico, Bataui Hispano bello occupãtur.

CONSIDERATIO LXXXII.

CALVINO-TVRCISMI exterminationem promptissimè subditi in Palatinatu, Brandenburgica, Anspacensi ditione adiuuabunt. Iam enim longissimo tempore Lutherani & Catholici, vt liberarentur a ferreo Caluinismi iugo, optare magis, quam sperare potuerunt. Ita vno eodemque tempore omnes literæ, quæ in Turciam, aliaque loca volitant, machinæque cessabunt.

CONSIDERATIO LXXXIII.

ARDENTISSIMIS ista votis optant Lutherani, & consilia, armaque conferunt. Catholici lentiores, præsertim Ecclesiastici, quos ad seruitutem natos, Anhaltinus diaboli Imperatoris Elector, ea de causa dixit; omnia timidè administrant, iure suo non nisi coacti vtuntur. Lutherani animosiores sunt suo duce heroe Saxone: Deinde acriores, recentium memoria detrimentorum; Nam Catholici antiquitus erepta, pro derelictis habent. Itaque minus in vltionem assurgunt: plus illi oderunt, qui recenti vulnere sanguinem mittunt.

CONSIDERATIO LXXXIV.

NEc modo hoc commodo pacis potiemur, sed etiam contra Turcas fortes erimus: Caluiniani enim quas Cæsari contra Turcas debuêre contributiones in suos vsus absumpserunt, aut contra Imperatorem abusi sunt. Quæres iniustissimæ perfidiæ, iam multos annos agitur. Sed quid illi contra Turcam opem ferrent, qui missis muneribus eum inuitarunt? De his igitur iudicio agendum est.

CONSIDERATIO LXXXV.

VRBIVM verò liberarum & Imperialium singularis cura habenda est. Earum enim Politia ad interitum ruit, & magno detrimento imperium afficit. Opes enim Vrbium sunt. Quid pro Vrbium libertate, emendatiore politia statuendum sit, breuiter annotari potest. Nisi enim illæ à Caluinianis principibus separentur, nunquam tumultuum occasio deerit. Quid desit ostendam, ex eo apparebit, quid sit corrigendum.

1. Omnibus in vrbibus potentioribus, vel astu, vel auctoritate, vel dignitate sunt aliqui Caluinistæ magnates, illi hoc agunt, vt aliqui è Secretarijs, Syndicis, alijsque sint eiusdem superstitionis. Francofurtensium Hector est Caluinista, Noribergensium non modo multi Senatores, sed & ministri; plures Argentorati.

2. Illi partim opinione sua inducti, partim pecunia empti, aut promissis a consiliarijs principum seducti, sensim senatorum opportunos, deinde reliquos ad rebellionem concitarunt. Nam populus ferè insciius machinarum, aut falso persuasus, magis passus rebellionem, quam feciisse iudicandus est. Expressit hæc vates Germanicus non inelegantior.

Die Herren mit Schmieraliensafft
Seyn vbergülder worden.
Daher kompt der armen Bürgerschoffe
In diesen schweren Orden.

3. Post-

3. Postquam agi cœptum est cum Caluinistis, omnium senatorum libertas incisa est. Ciues enim veriti sunt offendere magna nomina, Palatinum, Anspacensem, alios. Omnia enim sua dicta ad aulas deferenda sciebant. Alij in eorum territorio vineas, vel agellos, alij cognatos habebant, alios portoria trãsire necesse erat. Nemo liberè loqui est ausus, alij occultè obærati, mutationes optabant: quicquid metu, prece, fauore, precio, spe agi potest, actum est. Nulla pars artis amissa est.

CONSIDERATIO LXXXVI.

HÆc emendari alio modo non possunt, nisi vt diligenti ciuium, senatorum, ministrorum, quos constat genuinè Lutheranos esse, examine, nemo ad vllam publicam functionem, dignitatemque admittatur, nisi omnibus signis constet eum non esse Caluinianum. Quia vero iurant, periurant, non credendum alijs, nisi quos populus probat, & fama iuncta examini. Deinde nemo nouus admittendus ciuis Caluinissimum professus, quisque eum abiurare recusarit. Tribu etiam tales mouendi, non modo curia, & si inquieti sint, omnino expellendi.

Ne vero sint vrbes principibus obnoxiæ, & vectigales, metu aut spe, nihil de nouis fœderibus, pactisve agere liceat, nisi tribubus consentientibus, & ad Imperatorem referentibus, cum enim ab eo habeant libertatem, non debent illam pauci, pecunia corrupti in discrimen adducere.

AD CONSIDERATIONEM LXXXVI.

COMMENTATIO.

Habebant olim Imperatores in singulis vrbibus Imperialibus certos ministros, qui ipsorum nomine senatorijs Consultationibus non interessent modo, sed etiam praessent. Varijs quidem illi nominibus censebantur, officio & functione ijdem. Cum verò vrbes non supra se tantum, sed etiam supra maiores capita extulêre, partim prece partim pretio, partim fraudibus hosce Censores loco mouerunt. Norici Burggrauios suos pecunijs datis honeste eiecerunt.

Plures ne huiusmodi officia alijs quam ex ipsorum Collegijs Imperatoribus præsentatis conferrentur, impetratis in id Priuilegijs particularibus effecerunt, vt Ratisbonensi & alij penè omnes. Itaq; fit vt nullum Cæsar fidelem in Repub. habeat, qui ipsius causam agat licet omnes omnino tales audire velint. Morbum ostendi, addo remedium. Tales Cæsar vrbium præfectos, Prætores, Prouisores, &c. constituat, de quorum fide securus esse, & qui malignos continere possint.

CONSIDERATIO LXXXVII.

A Senatoribus suis magnopere ciues grauantur. Vna est ciuitas, sed duæ acies, vna pars alteram premit, & de eius pressu pinguescit, sunt vero qui premunt patricij, qui maximè Noribergæ, Vlmæ, Argentorati, Wormatiæ inualuerunt. Nõ sunt illi nobiles, sed conspiratione quadam, & artificio Rempublicam ad se contraxerunt; à ciuibus suis non natalibus, sed fastu & contemptu Imperatoris differunt. Tribus illi rebus ciues suos maximè affligunt: Magistratu, iudicijs, rapina. Magistratu: nam solos, exclusis ciuibus, regnare se iustum arbitrantur. Hinc leges ferunt sibi vtiles, ciuibus graues, in Imperio improbatas, hinc suæ dominationi stabiliendæ, fœdera cum principibus ineunt, pecunia eos iuuant, monopolia sua firmant: cum enim charitate ciuium niti non possint violentiam cogitant, & extera præsidia conquirunt. Hunc fructum vitæ putant, impunè iniuriam inferre.

CONSIDERATIO LXXXVIII.

HVic malo occurrendum est, vulgato in ciues omnes iure adeundæ curiæ, & Magistratuum capessendorum, alio modo odia tolli non possunt; alioqui Senatores nec modum imperandi austerè moderantur, & ciuium libertas nimium pressa in rabiem vertetur. Iustum hoc omnino est, vt tot millia ciuium prudentium, fidelium, de patria, de imperio bene merentium, etiam eruditorum & opulentorum, à Curia tanquam degeneres non repellantur, cum pares sint patriciorum

ciorum nobilitati. Quietam hoc ciuitatem redder, cum videant se non ab aduersa factione, sed sortis suæ ciuibus gubernari. Insolentiam patriciorum reprimet, si intelligant, aliorum virtuti & industriæ honorum campos patere, suæ prauitati claudi posse. Nec se ad dominandum, alios ad seruiendū intra eadem mœnia, eodem satu, prognatos.

CONSIDERATIO LXXXIX.

TERTIVM ciuium grauamen est, in tribunalium iniquitate. Iudicia enim penes patricios sunt, ac quod inde consequitur, omnium fortunæ Causam facilius contra Cæsarem quam patricio iudice, contra patricium obtinueris. Ingentes sunt hoc loco querelæ non modo iniquarum sententiarum, sed frustrationum, dilationum, concussionum, munerum. Quæres efficit, vt nisi Cæsarea maiestas, aut vicinus princeps timeretur iam dudum senatum, tanquam detestabilem mutassent, & quibusdam in locis cœperunt, magis malo modo, quam causa; & procedendi, non quærendi culpam luerunt. Itaque iudices incorrupti constituendi sunt, non ex sanguine patricio tantum, sed etiam plebeio. Quis enim credat, inter dena vel duodena millia, non posse inueniri legitimum iudicem, nisi qui tanquam patricius in luxu, & ciuium contumelijs ætatem egit?

CONSIDERATIO XC.

PRIVILEGIORVM & immunitatum arcana, ipsi penes se retinent patricij, fruunturque, ea vulgari ciuibus est æquissimum, vt sciat quisque qua lege viuat.

CONSIDERATIO XCI.

PECVNIAM publicam, portoriorum, censuum vectigalium, multarum, exactionum, contributionum, soli patricij tractant, varijs exactionibus ciues grauant, nec soli modo, sed etiam rationis reddendæ immunes. Hinc adeo est ille olim ignotus patriciatus in magna vrbe lucrosus. Quæ-

ſtores itaque & eorum adminiſtri, ex plebe etiam conſtituendi ſunt, ſingulis annis omnium rerum reddenda ciuibus, præſente Cæſaris Commiſſario, eſt ratio. Vt ſi pecuniarum ſint ingentes acerui, non in Bohemos, alioſque rebelles effundantur, verum ciuibus, data cautione, vtendæ concedantur, patriæque vtilitas quæratur.

CONSIDERATIO XCII.

ILLA politiæ correctio neceſſaria eſt Imperio, ne ſeditiones fiducia nummorum oriantur. Neceſſaria eſt vrbibus, ne deſperatione meliorum, ſenatum expellant, aut trucident; quod crebro tentatum, aliquando factum eſt. Vtilis eſt patricijs, vt ſobrietatem diſcant. Ne vſurpent id, quod ſolent; ſua ſe in vrbe Cæſares eſſe.

CONSIDERATIO XCIII.

NEMO etiam inſtituto tam iuſto, honeſtoque obſtabit, exceptis illis, quibus Oligarchia lucro fuit. Omnes ſe ciues reuixiſſe, & aurea ſecula redijſſe dicent. Nec modo pro libertatis vſu reſtituto grati erunt, ſed contra hoſtes Cæſaris gnaui & inuicti. Qui enim Reipublicæ commodis fruuntur, in ea conſeruandi ſunt alacres, fortes aſſiduique. Nec pars tamen aliqua tumultuari poterit, cum ſarta tecta priuilegia omnibus maneant.

CONSIDERATIO XCIV.

MAGNO quoque emolumento vrbium quietem, concordiamque Cæſar afficiet, ſi vel ſingulis annis, vel certo temporum interuallo, vir aliquis doctus, odio habens munera, iuſtitiæ amator, vrbes obeat, querelas audiat, in acta magiſtratuum, iudicumque inquirat. Nec graue, aut infrà maieſtatem ſuam Cæſar eſſe ducet, plebis curam ſuſcipere. Ideo enim vnus omnia poteſt, vt à potentiorum iniurijs ciues tenuiores defendat. Ideo priſci Cæſares non quidem Tribuni, ſed Tribuniciæ poteſtatis erant, & non regni annos, ſed

Tribuni-

Tribuniciæ poteſtatis numerabant. Hoc Magiſtratu maxin è Sacroſancti erant, & inuiolabiles. Hæc omnia cum facile fieri poſſint, & factu ſint vtiliſſima, non video, cur non quam citiſſimè, quam conſtantiſsimè efficiantur.

CONSIDERATIO XCV.

DEMVM alia conſideratione meas conſiderationes non excuſo, ſed commendo. Non enim libertati veraci opponi metus debet. Animo vtendum eſt, occaſio non dimittenda. Si animo victores non ſumus, victoriam manuum perdidimus. Illi ſi animo conſtant, amiſſa recuperabunt. Iam victi per Britannum & alios deprecantur, per Danum, Turcamque minantur, totum orbem in noſtrum exitium cieré conantur, & nos pulchris inducijs noſtrum militem fame atterimus, profugijs minuimus, illi ſe armant, ſed hæc omitto. Meis conſiderationibus duo hominum genera inimica video. Primum eſt cui non placet aduerſarios vocari proditores Patriæ. Quibus non reſpondeo, quia proditorum ſunt aduocati, definiant proditorem, aut à mundo condito oſtendant vlla in vrbis parte tam nefariam proditionem fuiſſe. Hic eſt fundus noſtræ calamitatis, prodere nos omnes, pellere omnes voluerunt, noſtra diuiſerunt. Et mihi dicere id non licebit! Non licebit victori, quod victus dicere poteram?

Alterum genus hominum eſt ſtultiſſimè prudens, nolunt quenquam de republica quicquam ſcire, dicere. At vero omnes de ea loquuntur, Nec leges præſcribunt, nec tamen, quid ignaue, ſtolidè, præcipitanter agatur, ignorant.

Apud principes humillime, ſed ſerio per Deum proteſtor: Eorum munus eſſe proſpicere ſecuritati publicæ, videant ne quid accipiat Reſpublica detrimenti.

Deinde humillime moneo: optimum eſſe non modo paruos tractatus, ſed plenam hiſtoriam ſcribi, qua ſuam, ſuorumque temporum famam tueantur. Iam enim à multis annis ita omnia ſcribuntur, vt poſteritas cauſas veras, & vera acta habitura nõ ſit, multique exiſtimaturi ſint; optimos prin-

cipes

cipes fuisse nebulones, Quid enim de Achille nostro Saxone non finxerunt? Quid non de Catholicis Principibus, Lutheranisque alijs? Cum ergo rebelles, iniusti, raptores, fœdifragi, proditores omnia publica instrumenta, legationesque ita instituerint, vt se bonam fouere causam, nos reos esse dixerint, nunc hoc agendum est, quoniam Dei nutu omnia patuerint, vt tota posteritas cognoscat, illos fuisse omnium hostium, proditorumque teterrimos, nostram causam omnibus modis fuisse iustissimam. Plura coram disseram.

Hæc nomine subditorum oppressorum Cæsari, & Principibus amicis Cæsari.

FINIS.

BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Moquot, Étienne,

Secreta Secretorum Calvino-Turcica secreta

S.l. 1621

H.eccl. 205
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10023820-6
VD17 12:108122C